Danely
13. D. 37.

M 6
13-c
68

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 A
57

AH

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-13-E-68

13 c 0

13 d 37

13 d 32

6.3.A.57

B

Coll. Rom.
Soc. Jesu.

Digitized by Google

6.3.A.57

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

6. 3. A. 57

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DE ARTE POETICA LIBRI TRES.

Digitized by Google

Mutius Vitelleſcus Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVm Libros de Arte Poëtica P. Alexandri Donati noſtræ Societatis aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſg. & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 15. Nouembris 1630.

Mutius Vitelleſcus.

EGo Iulius Roſpiglioſius Philoſophiæ, & V.I.D. iuſſu Reuerendiſs. P. F. Nicolai Riccardij Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici Libros de Arte Poëtica R. P. Alexandri Donati diligentèr perlegi, & nihil deprehendi, quod Fidei, aut bonis moribus repugnet: immo quam plurimum bonarum artium ſtudioſis commodum allaturos eſſe iudicaui. Ideoq. æquiſſimum cenſeo, vt Typis mandentur.

Iulius Roſpiglioſius.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Bellicaſtr. Viceſgerens.

Imprimatur,
Fr. Nicolaus Riccardius S. P. Apoſtolici Magiſter, Ord. Præd.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Alexander Donatus è Soc. Ieſu. F.

NVNC demum intelligo, Eminentiſsime Princeps, ſolidum quidpiam ineſſe Poëticæ, quæ mihi aditum ad te non ſemel patefecerit. Hanc certè nobiles Poëtæ nacti ſunt pro Lauro mercedem; vt conciliatriculam Poëſim regias in ædes præmitterent: deinde verſus neſcio quo Muſarum concentu iucundè ad principum aurem accidentes proferrent: eaq;

Digitized by Google

obſequij ſuauitate beneuolas commendationes compararent, tū calumnias, & obtrectationes inuidorum diſsimulanter extinguerent. Sed ego neque cum verſibus incultis, & male natis præſto tibi fuerim, vt ille olim Cherilus Alexandro, quo tu multo maior es virtute, ac ſapientia: neque metricæ artis in præſentia ſim profeſſor, cuius eſſe volui non optimus inſtitutor. Itaque cum caream floſculis moduliſq. canentium poëtarum, inſtitutionem præterea non ijs doctrinæ, ingenij, orationis numeris partibuſq. formaui, quibus alij grauiſſimi doctiſsimiq, viri perfecerunt. Quid ergo tibi placeat, Principiq. acerrimi iudicij tenue commendet opuſculum? Equidem recanto quod dixeram. Eſt prorſus inanis, & vana poëſis. Lauro hederaque ſpontè coronatur, vtraque infructuoſa: lauro inſuper amante in frondibus amaritiem: hedera creſcente in perniciem ſuſtinentis. Verū ideonè

pote-

Quomodo Poëſis ſpecies diuidantur. Cap. III 121
Origo, incremētū, & nomē Tragœdię. Cap. IV. 124
Definitur Tragœdia. Cap. V. 126
Verane an ficta Tragœdiæ materia debeat eſſe. Cap. VI. 130
Primariæ perſonæ Tragicæ prima conditio. Cap. VII. 135
Secunda Protagoniſtæ conditio, qua medius inter probum, & improbum collocatur. Cap. VIII. 137
An Protagoniſtæ mediocritas inſignem probitatem excludat è Tragœdia. Cap. IX. 140
An improbos, ac nefarios imitetur Tragœdia. Cap. X. 148
Tertia conditio, ſiue error perſonæ Tragicæ. Cap. XI. 149
Exiſtimatum errorem Protagoniſtæ ſufficere in Tragœdia, nec eidem ſemper tribuendum. Cap. XII. 153
Quarta Protagoniſtæ conditio, ſeu permutatio fœlicitatis. Cap. XIII. 157
An exitum fœlicē Tragędia excludat. Cap. XIV. 162
Simplicem debere eſſe Protagoniſtam, quæ vltima proprietas. Cap. XV. 166
Partes Tragœdiæ. Cap. XVI. 167
De Fabula, & quid ſit. Cap. XVII. 168
Fabulæ proprietates, quarum prima Implexio. Cap. XVIII. 173
De Agnitione. Cap. XIX. 176
Pa-

Pathos, & Perturbatio Fabulæ. Cap.XX. 181
Veriſimilitudo, ſecunda Fabulæ proprietas. Cap. XXI. 183
Integritas, tertia conditio Fabulæ Cap.XXII. 186
Magnitudo,quarta cōditio Fabulæ,Cap.XXIII. 187
Vnitas Fabulæ, quinta eius proprietas. Cap.XXIV. 189
Epiſodia Fabulæ, ſexta proprietas. Cap.XXV. 193
Admirabilitas,& Paſſio Fabulæ, ſeptima, & octaua conditio. Cap.XXVI. 197
Solutio Fabulæ. Cap.XXVII. 198
De Moribus,& Morata oratione.Cap.XXVIII. 201
Quomodo ſint effingendi Mores.Cap.XXIX. 203
Mores Ætatum. Cap.XXX. 207
Mores Fortunarum. Cap.XXXI. 209
De Sententia. Cap.XXXII. 212
Quid ſit Affectus. Cap.XXXIII. 215
Quotuplex ſit Affectus. Cap.XXXIV. 216
Amor,& Odium. Cap.XXXV. 219
Deſiderium, & Fuga. Cap.XXXVI. 222
Gaudium,& Triſtitia. Cap.XXXVII. 224
Spes, Metus. Cap.XXXVIII. 229
Ira, Manſuetudo. Cap.XXXIX. 233
Miſericordia, Indignatio.Cap.XL. 237
Inuidia,Æmulatio. Cap.XLI. 241
Pudor,Impudentia. Cap.XLII. 245
Gratia. Cap.XLIII. 247
Quomodo concitentur Affectus. Cap.XLIV. 249

De

tientes ingenia, reconditas politioreſque diſciplinas ab otioſis, & quietis agitari præcipimus. Sed alia vis eſt eorum, qui extra ius commune mortalitatis vt terminos imperij latiſsimos, ità nullos habent ingenij: & à vigilia cuſtodiaque publicæ ſalutis, à fluctibus ciuilium controuerſiarum, à tumultu Iuriſdictionis pacatos reuocant animos ad Muſarum tranquillitatem, & otia Sapientum. Vnum ex ijs omnibus te mihi potiſsimum, ac breuibus hiſce poëſeos inſtitutionibus tutorem, patronumque eſſe præoptaui; vt quia opus mole perexiguum, rebus ieiunum, tractatione impolitum obtuli, eo ſaltem nomine placeat, quòd tibi offertur. fieri enim non poteſt, quin abſterſiſſe labes, pulchrioremq. formæ dignitatem cepiſſe videatur, ne omnino inelegans & inornatum veniret in conſpectum ac dexteram Principis. Vale. Kal. Ianuarij.

AD LECTOREM.

QVod alij profuſis commentarijs, Dialogis, Libris, ductu, inſtitutoque Ariſtotelis, de Poëtica præcipiunt; Ego breui Epitome complexus addiſcentibus præſertim expoſui: ſic vt nihil eorum omiſerim, quæ ad ingenioſiſſima artis cognitionem adoleſcentes iuuare putauerim. Cæterum quo magis breuitati conſulerem, capita minus præcipua, aut diſputationibus agitata in additamenta conieci; vt cui minus eſſet otij, aut voluntatis ad legendum, multa minus neceſſaria ſeligerentur, quæ pro arbitrio legere poſſet, aut relinquere. Auctorum locos interdum interciſos conſultò adduxi, verbis duntaxat prætermiſſis, quæ aut propoſito non conducerent, aut longiorem circuitum nimia prolixitate pertexerent. Nec quenquam notare conſilium fuit, ſed animi ſententiam aperire. Qualecunque opuſculum non inuidè accipiet, qui cum cæteris ſe quoque agnoſcat ſtudioſum eſſe poëticæ, atque in vita fabula confingere omnia, nihil conficere.

INDEX CAPITVM
Libri Primi.

Nomen Poëſis. Cap.I. pag. 1.
Origo Poëſis. Cap.II. 1
Quid ſit Imitatio. Cap.III. 4
Poëſim eſſe Imitationem. Cap.IV. 7
Quid ſit Poëſis. Cap.V. 9
Finis Poëticæ. Cap.VI. 11
Poëſis, & artium Materia. Cap.VII. 15
Materiam Poëſis non eſſe res falſas. Cap.VIII. 16
Poëticæ materiam non eſſe tantum actiones humanas. Cap.IX. 17
Poëſis materiam eſſe res omnes. Cap.X. 19
Res omnes aptari poëticæ ratione veriſimilitudinis. Cap.XI. 20
Quomodo veriſimilitudo ſit in omnibus poëmatis? Cap.XII. 24
Cuiuslibet poëtæ opus eſſe à veritate alienum. Cap.XIII. 28
Lyricam poëſim fieri ſine fabulis. Cap.XIV. 31
Carminum ſcriptores abſque fabulis eſſe poëtas. Cap.XV. 34
Perfectiores poëtas eſſe fabularum auctores. Cap.XVI. 37
Sub qua diſciplina collocanda ſit poëſis. Cap. XVII. 45
De præſidijs ad poëſim cõſequendã. Cap.XVIII. 46

Quale

Quale ſit ingenium Poëtarum. Cap.XIX. 47
Quid ſit Furor Poëticus. Cap.XX. 49
Propenſionem ad poëſim facilè dignoſci. Cap.XXI. quod XXIII. 54
Docentis præceptio. Cap.XXIV. 58
De Auditione. Cap.XXV. 60
De Lectione. Cap.XXVI. 62
Qui ſcriptores legendi. Cap.XXVII. 64
Legendi modus. Cap.XXVIII. 68
Ratio ſcribendi, & eius vtilitas. Cap.XXIX. 71
Quid ſit ſcribendum. Cap.XXX. 73
Modus ſcribendi. Cap.XXXI. 77
Scriptorum recognitio, & iudicium. Cap.XXXII. 80
De Imitatione. Cap.XXXIII. 83
Quid & quotuplex ſit Imitatio. Cap.XXXIV. 84
Quædam ad bene imitandum obſeruanda. Cap. XXXV. 86
Modus imitandi. Cap.XXXVI. 90
Rerum Imitatio. Cap.XXXVII. 91
Verborum Imitatio. Cap.XXXVIII. 94
A quibus culta ſit pöëſis. Cap.XXXIX. 102
Honores collati poëtis. Cap.XL. 110
Corona Poëtarum. Cap.XLI. 112

LIBRI SECVNDI.

SPecies, & formæ poëſeos. Cap.I. 117
Quibus diuidantur formæ poëſeos inter ſe. Cap.II. 118

Quo-

poterat acceſſu, vel tuo prohibere patrocinio? eſt enim tua illa non tam ſedes Principis, quam regia humanitatis. Eò nullus admittitur, quin illi præter numeroſos famulantium cætus, adeſſe videatur nouus, & aſsiduus aulicorum comitatus: & ſiue tuis continenter excubare foribus, ſiue aſsidere conclauibus, ſiue latera cingere, & Domini obſeruare veſtigia clemens Benignitas, facilis Bonitas, liberalis Beneficentia, decens Comitas, conſtans Integritas, linguæ Suauitas, iuſta Æquitas, temperata Seueritas, Prudentiæ, Sapientiæq́. maieſtas, circumfuſa denique cæterarũ corona virtutum decore grauis, hilaritate amabilis, eximio dignitatis ſplendore auguſta. Non hæ quid quiſq́. importet, aſpiciunt: non penſitant hominum ſtatus, fortunaſq́. perquirunt: omnes æquè recipiunt; quorum ſe incolumitati, lætitiæq́. adeſſe profitentur: ac Principem veluti ex alto deuocant, vt

etiam demiſſos & humiles beneuolè cō-
plectatur omnium defenſor, & cuſtos.
Etſi rarò altior Princeps, quàm cum ſe
demittit ad infimos, & tanquam parti-
ceps diuinitatis altiſsima inſidet, ac
profundiſsima peruadit. Accedit in-
credibilis tua etiam nunc in ampliſsi-
mo adminiſtrationis, gerendæq́. reipu-
blicæ munere liberalium cura doctrina-
rum; cuius gratia eruditiſsimorum vi-
rorum veſpertinos ſecretoſq́. conuen-
tus habere conſueuiſti, & quietis ſom-
niq́. tempora recognoſcendo, legendoq́.
ſuffurari. Itaque cum vides VRBANVM
Religionis, Sapientiæq́. Antiſtitem Ma-
ximum, tibi cognatione propinquum è
ſublimi ſolio Pontificatus verſare mun-
di pondus, & animi cauſa diuertere in
adyta litterarum, Muſiſq́. manſuetio-
ribus interdum imperare; tu quoque
exaggeratam rerum præclarè geſtarum
gloriam ſimili Sapientia cumulaſti.
Improuidos nos, qui noſtris aliena me-

tien-

De Dictione. Cap.XLV. 251
De Metaphora. Cap.XLVI. 263
Apparatus, & Melodia. Cap.XLVII. 271
Partes Tragicæ Quantitatis. Cap.XLVIII. 274
De Actibus Fabulæ. Cap, XLIX. 277
De Choris. Cap.L. 279
De Comœdia, & primum de eius nomine, & origine. Cap.LI. 287
Definitur Comœdia. Cap.LII. quod LIII. 288
Quod ſit vitium ridiculum Comœdiæ imitandum. Cap.LIV. 290
Materia Comœdiæ. Cap.LV. 292
Forma Comœdiæ. Cap.LVI. 294
Varia Comœdiarum partitio apud Græcos, & Latinos. Cap.LVII. 296
De Tragicomœdia. Cap.LVIII. 297
De alijs Dramatis. Cap.LIX. 300

LIBRI TERTII.

EPopœiæ nomen exponitur. Cap.I. 302
Definitur Heroica. Cap.II. 303
Quid ſit actio Heroica. Cap.III. 305
Heroicam virtutem non eſſe omnium virtutum complexionem Cap.IV. 307
Quomodo Heroëm poëta conformet. Cap.V. 309
Proprietates actionis Heroicæ poëmati congruentis. Cap.VI. 311

Forma

Forma Heroici poëmatis. Cap. VII. 313
Quædam obſeruanda ad Heroici poëmatis formam conſtituendam. Cap. VIII. 316
De Allegoria. Cap. IX. 319
Parodia. Cap. X. 322
De Ecloga. Cap. XI. 323
De Satyra. Cap. XII. 328
Genethliacon. Cap. XIII. 332
Epithalamium. Cap. XIV. 334
Votiuum poëma. Cap. XV. 335
Soteria. Cap. XVI. 339
Gratiarum actio. Cap XVII. 340
Adhortatiuum Carmen. Cap. XVIII. 342
Dimiſſio, ſeu Dimiſſorium poëma. Cap. XIX. 343
Diſceſſio. Cap. XX. 345
Poëma in reditu. Cap. XXI. 346
Panegyricus. Cap XXII. 349
Animantium, & Inanimorum laus. Cap. XXIII. 356
Vituperatio. Cap. XXIV. 357
Diræ. Cap. XXV. 358
Epicedium, & alia Funebria. Cap. XXVI. 359
De Epiſtola. Cap. XXVII. 364
Narratio. Cap. XXVIII. 365
Elegia. Cap. XXIX. 367
De Epigrammate. Cap. XXX. 370
De Emblemate. Cap. XXXI. 375
Figurata Epigrammata, vulgò Impreſiæ. Cap. XXXII. 378

Dithy-

Dithyrambica, ſeu Lyrica. Cap.XXXIII. 388
Lyricæ Materia. Cap.XXXIV. 389
Dithyrambus. Cap.XXXV. 390
Ode. Cap. XXXVI. 292
Quædam Odarum genera. Cap.XXXVII. 394
Character, & forma dictionis Lyricæ. Cap. XXXVIII. 397
Hymnus. Cap.XXXIX. 399
Ode Laudatrix. Cap.XL. 401
Ode Vituperatrix. Cap. XLI. 405
Ode Conſolatrix. Cap XLII. 405
Ode Gratulatrix. Cap.XLIII. 407
Ode Dimiſſoria. Cap.XLIV. 409
Ode Suaſoria. Cap.XLV. 411
Ode Parænetica. Cap.XLVI. 414
Ode Poſtulatrix. Cap.XLVII. 415
Genera Carminum. Cap.XLVIII. 416

DE

De Poesi Ode.

O Alma ſertis vincta loquacibus,
Iucunda rectis gaudia temperans
Poëſis, auritum per Orbem
Aonios modulata cantus.
Non fabuloſis vna tibi chlamys
Aduelat artus picta coloribus:
Qua textus Heros, qua theatris
Sanguineos bibis vda riuos.
Veraciori nuncia ſyrmate
Arcanæ rerum facta latentium,
Artiſque, Naturaquè cunctas
Non refugis meditata leges.
Vnde, euoluto ſydera carmine,
Terraſque, & altis æquora fluctibus
Luſtrare gaudes: & Lycei
Doctiloquas agitare voces.
Seu diſſolutis grandia verſibus
Tumentis audes nomina Liberi,
Pulſuque, conuerſoque ſaltu
Baſſaricas reſonare buxos.
Nulla & ſororum nobilis artium
Sic ora pictis viua ruboribus
Impune veſtit: ſic volentem
Blanda prait comitem voluptas.
Eheu ſequaci ne nimis vrgeat
Gradu voluptas. Caſta ſonantibus
Committe chordis quiſquis ambis
Virgineas Heliconis arces.

DE

DE ARTE POETICA.

LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nomen Poëſis. Cap. I.

POESIS à faciendo nomen inuenit. ποιεῖν enim facere, ποίησις factio, ποιητὴς factor eſt. Sed quamuis omnes artifices, materiam quiſque ſuam elaborando, ſint effectores; tamen Poëtæ nomen ſortiti non ſunt, quod proprium ſibi fecit carminum ſcriptor, qui imitando rerum veluti ſimulacra conformat. Vt vel ex ipſo nomine ingenioſa poëtæ machinatio, actionumq. veriſimilis conſtructio deprehendatur. Nam huic arti aliæ artes collatæ nihil quodammodo faciunt.

Origo Poëſis. Cap. II.

POëſim non vis aliqua externa, ſed Natura ipſa molita eſt. Ideoq; Poëta non *Ariſt. c. 1. poët.*

Pro Arch. poët. tam arte conſtat, quam, vt ait Cicero, *Natura ipſa valet, vel mentis viribus excitatur.* Duæ autem cauſæ penitus inſitæ in natura poëſim genuerunt. Altera eſt vis imitandi: altera, naturalis propenſio ad harmoniam, & cantum. Imitatio non in hominibus ſolum, ſed etiam in brutis apparet. Nam aues cantum imitantur, & voces: nec ſolæ ſunt

Ouid. 5. Metam. ——— *imitantes omnia Picæ,*

Sed & quadrupedes motus ad numerũ, ſaltusq. condiſcunt. Hominibus autem nihil magis inditum, quàm imitari. Hac enim facultate maximè indigebant, qua maximè ad artes, & diſciplinas informantur. *Sic litterarum ductus, vt ſcribendi fiat vſus, pueri ſequuntur: ſic muſici vocem docentium: pictores opera priorum: ruſtici probatam experimẽto culturam in exemplum intuentur.* *Quint. lib. 10. c. 2.* Iucunditas vero, quæ ineſt imitationi, indicio eſt à natura proficiſci. Quæ enim triſtitiam inferunt, naturæ repugnant. Et oblectatio tanto ſecurior eſt, quanto ſecurius eorum imagines imitatione expreſſas videmus, quæ in ſe ipſis viſa nocerent. Serpentes enim, & cadauera ſine horrore videri non poſſunt; at exquiſitè depicta delectant. Cuius rei cauſa eſt; quia.

quia tunc noui aliquid ſine periculo addiſcimus; nam videndo rei veræ imaginem, referendoq. ad exemplar; vtriuſque ſimilitudinem antea nobis ignotam deprehendimus.

Altera cauſa poëſeos eſt naturalis hominum propenſio ad canendum. Quem enim numerus in voce, vel motu, vel fidium pulſu non oblectat? Teſtes pueri, qui ex ſeſe nouos quotidie cantus excogitant, eduntque. Et quoniam aliqua pars cantus carmen eſt, Natura, quæ canere docuit, docuit & carmen. Perfectus enim cantus carmen inuoluit. Nam ſicut cantus peculiaris eſt modus flectendæ vocis: ita & componendorum verborum; vt nimirum verba, quæ canuntur, tali numero, modoq. aſtricta concinniùs, & pulchriùs deſinant. Quod verſus, non ſolutæ orationis proprium eſt. Ideò quidquid canitur muſicis modis, ferè carmen eſt. Et poëtæ ſcribentes carmina, aiunt non ſe ſcribere, ſed canere.

Homer. Μῆνιν ἄειδε θεά.

Virgil. *Arma, virumq; cano.*

Studium igitur naturale imitandi, canendiq. verſum peperit cum imitatione coniunctum: primo quidem rudem, & impo-

litum, ſed deinde obſeruationibus, & artis præceptis excultum. Quare Poëſis nec ſine imitatione, nec ſine carmine fingi poteſt.

Quid ſit Imitatio. Cap. III.

In Soph. IMitatio eſt rei alterius repræſentatio. Plato ſic ſcribit: μίμησις ποίησίς τίς ἐστιν εἰδώλων: *Imitatio effectio eſt imaginum*. ſiquidem εἴδωλον cùm alia ſignificat, tum præſertim imaginem & ſimulacrum, & id, quod aſſimilatur rei veræ vel fictæ: cognatæq. ſunt voces εἰκών, μίμημα, εἴδωλον, *imago imitamentum ſimulacrum*. Neque vero quidlibet eſt alterius imago, ſed illud duntaxat, quod expreſſam ex altero ſimilitudinem refert: vel quia eandem ab illo naturam ſuſcepit, quomodo liberi ſunt imagines patris: vel quia peculiarem alterius proprietatem, præſertim figuram ex imitatoris mente, ſortitum eſt, paribus lineamentis, aut etiam formæ coloribus ab exemplari deductam. Quo ſanè modo in tabula picta, aut metallo, aut marmore ſpectatur imago Principis. Quod ſi communi ex genere, vel ex ijs, quæ promiſcuè pluribus acci-

accidunt, ducatur ſimilitudo, imago neutiquam erit. Quis enim natum ex homine vermiculum, iactet hominis eſſe imaginem, quòd videat animantem? Sed & ille,qui parieti candorem illinit, non propterea alterius candidi fingit imaginem, quamuis eius ſimilem faciat. Solo enim colore conſtare ſimilitudo poteſt, imago non poteſt; niſi prætereà propriam cuiuſque præ ſe ſpeciem ferat. Cum ita ſeſe habeant imagines, earum, vt dixi, effectrix imitatio eſt: atque ea, docente Ariſtotele,conficitur præſertim coloribus, figuris, & voce. Non enim magis pictor colorando, aut ſtatuarius gallum gallinaceum figurando imitatur, quàm quilibet alius eius vocem,& cantum exprimendo. Sed & alia ſunt genera imitationis,nam moribus,& genere vitæ imitamur: aut geſtu, motuque: & his aut ſeparatim, aut ſimul cum voce & ſono. In quibus,alijsq. imitationibus duo inſint neceſſe eſt: alterum, quod exprimitur: alterum, quod ſimilium proprietatum, habitusq. conformatione repræſentat. Quod autem exprimitur, aut verè eſt, fuitue aliquando: aut ſaltem artificis cogitatione concipitur.

Cap. 1. Poet.

Celebris verò eſt ex Platone imita-

tionis diuiſio in Icaſticam, & Phantaſticam. Icaſtica ſeu aſſimilatrix rei expreſſæ æqualem vſquequaque componit imaginem. Phantaſtica etſi non æquat, certo tamen interuallo, alijsq. de cauſis videtur æquare. Vt, cùm ſtatua Principis ipſo maior è faſtigio fabricæ eidem apparet æqualis. Cuius generis imitatio illa eſt, cum aliquis vocem alterius, nec omninò ſimilem refert, ſic tamen, vt ſimul audientes quid exprimatur, intelligant. Scio hæc ſuis implicita nodis aliter ab alijs explicari. Sed mihi breuem inſtitutionem texenti longiora perſequi mens non eſt.

ADDITAMENTVM.

QVod diximus, alienis formæ dimenſionibus imaginem perfici, rebus arte factis cõſonum eſt. Nam aliter ſe habent, quæ natura fiunt. Poteſt enim arbor pyrum pyro ſimile producere magnitudine, colore, figura: nec tamen ſibi mutuò erunt imagines. Quod ſi ad veri ſpeciem è ligno, cerauè ſimile pyrum elaboretur ab artifice, imago erit. Sic duos fratres mutua nectit proximæ humanitatis ſimilitudo: neuter tamen eſt imago alterius; cùm filius patri ſimilis, eius etiam imago ſit.

Cuius

Cuius rei cauſam ipſa inſinuant exempla. Quia nimirum vel alter alterum propria non impertiuit natura (neque enim frater fratrem progenuit, vt filium pater) aut certè non eo auctoris conſilio facta ſunt, vt ſe mutuò referrent. Quem finem ſibi præſcribere nō poteſt arbor pyrorum parens. At in pyri opificio etſi artifex ſuæ vim naturæ indere operi non queat, eamen mente conformat, vt exprimat pyrum factum ex arbore.

Poeſim eſſe Imitationem.
Cap. IV.

POëſi nihil deeſt ad imitandum. Propoſitum enim poëtarum eſt, perſpecta rerum, actionum, perſonarum natura, earum ſimillimas imagines referre, & pulchriùs, quàm ſoleant pictores mutis pigmentis, loquente in tabula circumductis verborum coloribus expingere. Quod ſi videantur in fabulis res aliter narrare, quàm geſtæ ſunt: id non euertit imitationem, ſed extollit. referuntur enim, vt geri modo veriſimillimo debuerunt. Quod ſanè phantaſtica imitatione peractum, præſtantius quiddam opere hiſtorico habetur,

betur, ac iudice Ariſtotele, ſublimius. Quemadmodum pictoris eſt non vulgaris, in regis effigie correctis erratis naturæ, cum ſimilitudine pulchritudinem augere. Quoniam ergo in opere tàm ſilente pictorum, quàm eloquente poëtarum, ſimulacra rerum ex ſua cuiuſque proprietate, & ſolo exprimendi propoſito ab auctoribus figurantur: ex vtroque capite abſoluta imaginum, & imitationis forma perficitur. Poëtica autem imitatio, quoniam ſermocinatrix & modulatrix eſt, non abhorret à motu, geſtuq. inter canendum & pronunciandum. Eidem ſufficiet ſcripta vox, vbi viua deficiet. Sed nihil promptius validiusq. ad imitandum poeſis nacta eſt, quam cum ciuicas & regias actiones producit in ſcenam. Tunc enimuerò (quod reliquæ artes imitatrices admirentur) non mortua ſimulacra, ſed viuentes, agentesq. ore, habituq. ſimillimas exponit veterum perſonarum imagines: ſic, vt illæ non adumbrari, ſed ipſæ per ſe ſuos retractare caſus videantur. Quare Plato, & Ariſtoteles hanc præſertim poëſeos imitationem ſuſpiciunt. De qua re alibi.

Quid

Quid ſit Poëſis. Cap. V.

POëſis eſt, *Imitatio facta carmine.* Duæ in hac definitione ſunt partes; altera vt genus, altera vt proprietas, ſeu differentia. Genus commune pluribus eſt *imitatio*. Nam ars pingendi, fingendi, ſculpendi, & aliæ quædam artes imitationes ſunt; quippè quæ res veras imaginum ſimilitudine imitantur. Ipſa etiam ars ſcribendi hiſtorias imitatrix eſt, cùm homines, aut illorum actiones repræſentet. In hoc ergo poëſim inire communem cum alijs rationem abſurdum non eſt. At illæ voces *facta carmine*, rectè explanatæ peculiarem inuoluunt proprietatem, qua poëſis ab alijs artibus ſeparatur. Nos enim *Carmine* non intelligimus ſolum numeris vinctam orationem, ſed omnia præterea, quæ ad carmen pangendum confluunt; nempe libertatem quandam fingendi, & loquendi promiſcua veri, falſiq. narratione, crebra nominum tranſlatione, vſurpatione troporum, & figurarum, frequenti enargia, ſiue euidentia: denique, vt ait apud Ciceronem Antonius, *Loquutione aliena cuiuſdam lingua*. Sicut enim cùm dici- 2. de Or.

tur

tur *Oratio*, hoc eſt opus oratorium, intelligitur quodcumque iuxta rhetorum artificium includit oratio: ita pronunciato, *Carmine*, debent intelligi, quæ huius generis orationis propria ſunt, & diſtingunt poëſim ab alijs artibus non mutis tantum, ſed etiam loquentibus, vt Hiſtoria, Oratoria, Dialectica, & alijs eiuſmodi. Ex quo perſpicitur, poëſi non ſufficere ſolum imitationem verbis conſtantem ſed præterea carmen expoſcere.

ADDITAMENTVM.

ID præterea intelligitur ex origine poëſis, quàm ſtudio imitandi, canendiq. ortam diximus: tum ex prima notione, quam quiſque de Poëta inſitam habet à natura, quem carminis artificem animo comprehendit. Idq. teſtatur, & recipit Ariſt. πλὴν οἱ ἄνθρωποί γε συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐλεγοποιοὺς, τοὺς δὲ ἐποποιοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς τοὺς κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ μέτρον προσαγορεύοντες. ideſt; *Quamquam homines, metro *fingere adiungentes, hos elegos, illos epicos nominant; non quidem ſecundum imitationem poëtas, ſed communiter ſecundum metrum appel-*

Cap. 1. Poët.

* facere *Madius in com.*

appellantes. Hæc ille. Atqui impreſſæ animis rerum notiones, communiſq. naturæ ſenſus multum valet ad probandum in omni genere quæſtionis. Adijciam quod ſcribit Angelus Politianus: *Simul vt obiter notarem quoſdam noſtræ ætatis non quidem Plautos, ſed tantum piſtores, qui Comœdias abſque verſibus nullo nec artificio, nec elegantia docent.* Lib. 7. epiſt.

Finis Poëticæ. *Cap. VI.*

Vt prodeſſe volũt, aut delectare Poëtæ. Horat. in Poet. Et quidam illicò voluptatem, tanquam vultures prædam arripiunt. Sed aliud eſt finis: aliud, quod poëſis adhibet, vt finem aſſequatur. nam gratia vtilitatis delectationem admiſcet. Rober. in proœmio Caſtelu. par. 1. partic. 4. *Poëtica*, inquit nobilis Philoſophus, *ſcopus naturalis eſt vtilitas, & morum correctio, & affectionum purgatio. ſed adiecta eſt etiam delectatio, vt homines ad hanc vtilitatem percipiendam allicerentur.* Iacob. Zabar. de nat. log. lib. 2. c. 15. Id probat Lucretius nota ſimilitudine: Lib. 4.

Nã veluti pueris abſinthia tetra medẽtes,
Cum dare conãtur, prius oras pocula circũ.
Contingunt mellis dulci, flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur

La-

Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat.
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerunque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata, retroq;
Vulgus abhorret ab hac; volui tibi ſuauiloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtrã,
Et quaſi muſæo dulci contingere melle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dũ perſpicis omnẽ
In Arte Poet. *Naturam rerum, ac præſentis vtilitatem.*

Et Horatius:

Omne tulit punctũ qui miſcuit vtile dulci
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Percurrendo quidem formas Poëſeos deprehenditur vtilitas. Tragœdia purgat affectus: Epopœia, ſi loquimur de Heroica, exemplis excitat ad virtutem. Quod in Ænea loquente expreſſit Virgil. (Cap. 3. Poet. — 12. Æn.)

Diſce puer virtutẽ ex me, verumq; laborẽ.

Et in Vlyſſe Homerus, de quo Horatius: (Lib 2. ep. 2)

Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poſſet
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſes.

Vetus Comœdia perſtrinxit viuentium ciuium mores vt corrigerentur metu infamiæ. Horatius: (Lib 1. ſat. 4.)

Si-

Siquis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur:
Quod mœch° foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multa cum libertate notabant.

Comœdia fictis perſonis retinet eundem finem, erigitq. ſpem infimorum proſperis euentibus: vt aduerſis, elatos potentum ſpiritus deprímit Tragœdia. Lyrica ſeu diuinum cultum hymnis promouet: ſeu laudatione præſtantes euehit. Ideò Franciſcus Petrarcha Latinæ, & Italicæ linguæ auctor inſignis: *Lib. 9. Afr.*

——— ——— *Quidquid labor hiſtoriarum eſt,*
Quidquid virtutũ cultus, documẽ: adq; vitæ,
Naturæ ſtudium quidquid, licuiſſe poetis
Crede.

Denique Poëtæ dicti olim *vitæ magiſtri, & correctores*, & σωφρονισταὶ, ac vetuſtiſſimam ætatem fabuloſa, ſed prima philoſophia erudierunt. Obuia ſunt luculenta teſtimonia aliorum ſcriptorum, & interpretum poëticæ Ariſtotelis. *Fracaſtor in Poet. Victor in proem. ad Poet. Alex. Piccol in proe. Mad. in prol. Torq. Taſſ. lib. 1. de po. Her.*

ADDITAMENTVM.

NEque negocium faceſſit Plato, qui ſua Repub Poëtas ſummouit. Artes enim ille bifariam diſtinguit; alias rerum verarum machinatrices ad vſum vitæ, vt lecti, *Lib. 10. de Rep.*

lecti, domus: imitatrices alias, vt pictu-
ram, quæ non res veras, ſed tantum earum
imagines exprimit. Cui poëſim eſſe ſi-
millimam docet; quòd tam pictura viſum
decipit colorando rerum imagines: quàm
[illegible] poëſis auditum easdem canendo. Sed ſi
ratio hæc quidquam efficit, quot artes ci-
uitate deijcies, præter eas, quæ illi philo-
ſopho videbantur inutiles? vt artem ſal-
tandi, conflandi odores, pingendi acu, &
ſimiles. Quod ſi pictura parum vtilitatis,
multum delectationis habet: Contra
poëſis multum iuuat tradendo præcepta
vitæ, & ad virtutes Heroum exemplis
excitando. Neque verò animæ pertur-
bationes, & affectus ipſa commouet, vel
auget, ſed repurgat, & reprimit. In quo
9. de Rep. Plato ab Ariſtotele forte diſſentit. De-
mum, ſi ſua Republica Poëtas expellit,
quam nuſquam eſſe, vel futuram fate-
Gell. lib. tur; etiam Rhetores olim, ac Philoſo-
15. c. 11. phi ab Vrbe Roma pulſi ſunt. An pro-
Cic. 3. de pterea obeſt ciuitati Philoſophia, vel elo-
Orat.
Suet. in quentia? Neque enim cuiuſpiam volun-
Domit. c. tas mutare poteſt naturam liberalium di-
20. ſciplinarum, & artium. Plato autem ali-
bi profuſiſſimus eſt in laudes poëtarum.
** De Lyſ.* Ab eo enim dicuntur * πατέρες τῆς σο-
φίας,

φίας, καὶ ἡγεμόνες· † ἔνθεοι· * ἑρμηνεῖς τῶν θεῶν· † φρονήσεως, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν γεννήτορες. *Patres & Duces Sapientiæ: diuino afflati ſpiritu: interpretes Deorum, Prudentiæ, & aliarum virtutum parentes.* Nec minora de poëmatis prædicat. Tanta igitur, ac tantorum opera cur non retinenda in ciuitate? Aliter alij reſpondent: Nimirum ſummoueri à Platone poëtas, qui malos mores prauis poëmatis inducunt; quibus ſanè omnes boni ſubſcribunt. Quod ſi præterea omnes expellit, mittentur ad Rempublicam quam inſtitui Ariſtoteles.

† *In Ioue.*
* *Ibidem.*
† *In Sympoſio.*

Fracaſt. in dial. de Poeſi. Zabar. loco citatô.

Poëſis & Artium materia. Cap. VII.

Materia arti ſubiecta illud eſt, in quo verſatur ars, quodq. figuratur ab artifice; vt materiarij lignum, fabri ferrum, ſculptoris marmor, pictoris colores. ſic Hiſtoriæ materia res geſtæ ſunt, quas exponit. Et vniuersè, quod ars vel diſciplina contemplatur, artis materia, vel diſciplinæ dicitur. Verum, cum eadem materia pluribus vel artibus, vel diſciplinis ſit communis; vt illæ nihilominus ſecernan-

tur

tur inter ſe, efficit aliqua certa forma, & finis. diuerſa enim forma, qua figuratur lignum, æs, ferrum, ſeiungit artes inter ſe diſcrepantes. Quod in re noſtra etiam valet, poteſt enim poëſis alteri facultati ſuam communicare materiam, ſed formam nō poteſt. De vtraque deinceps quæretur.

Materiam Poëſis non eſſe res falſas. Cap. VIII.

Iacob. Mazzon. in Iſag. ad Dant. Robor. init. expl.

NOn benè ſentiunt, qui poëſim in falſitate verſari docent. quem enim hauriat ſuccum è falſo? Neque, vt in hoc vmbratili regno poëtica collocetur, rectè ſubijcitur Sophiſticæ. Nam ſophiſtica facultas, vt docet Plato, omnia in controuerſiam deducit, propoſito ſibi fallendi fine; vt per ſpeciem veritatis in fraudes, ac fallacias deductus qui vera ſentit, cogatur pugnantia dicere. Quemadmodum ciborum venditores laudant quod vendunt; nihil vt emptor, noxium, an profuturum dignoſcat. Ariſtoteles autem ſophiſticæ non attribuit res probabiles, aut veriſimiles, ſed captioſas, quæ nonnullis videntur probabiles, quos duntaxat ſophiſtæ decipiunt, atque peruertunt. Quid ſimile

In Soph.

In Top.

ſimile habet poëſis? quæ non minus falſa, quàm vera, vtraque tamen quatenus veriſimilia complectitur, neque vt decipiat, ſed vt ad bonum, & virtutem impellat? Quod quæſo diuinum opus Plato diceret, falſum, & fallendis animis factum?

Poëticæ materiam non eſſe tantum actiones humanas. Cap. IX.

ALij materiam Poëſis redigũt in actiones humanas. At hi excludunt à poëſi quidquid natura in cœlo fit, & elementis, primiſq. corporibus: quodcunque faciunt Apes, piſces, ac brutæ omnes animantes. Quare qui de phœnice carmen edidit, Homerus, qui de ranis, quicunque de nuce ſcripſit, alijq. alia complexi non poëmata, ſed poëticæ monſtra ediderunt. Cui ſanè tam curta ſupellex cur tamquam opima hæreditas tradenda ſit, neſcio. *Caſſelu. p. 1. partic. 6.*

Qui huius ſententiæ cauſam probabiliorem afferunt, ita ratiocinantur. Poëſis ad homines inſtituendos eſt inuenta. Debent igitur homines in poëtarum voluminibus exempla intueri, quibus ſuum ipſi animum optima virtutum ſpecie compo-nant. Alijs exemplis non ita propriè inſti-

tui humanam gentem. Quæ ratio ſi probat, probat etiam Hiſtoriam fines actionis humanæ egredi non poſſe, cum ad homines item erudiendos reperta ſit. Hæc verò his egreſſa cancellis, nonne Naturam complectitur vniuerſam? nonne ex ſtatis rerum naturalium conuerſionibus, ex ortu, accretione, interitu rerum, ex cæli, & aliorum corporum, & animantium contemplatione Homo omnium imperator, ac dominus excoli, inſtruiq. poteſt ad virtutem? Præterea ſi aliquis de Deo, & Angelis ſcribit, nonne Poëſis erit? Nemo negabit, opinor; ſed forte dicet Deum, vt auctorem: Beatas mentes, vt adiutrices pertinere ad actiones humanas. Atqui etiam reliqua, quæ Natura produxit, aliquo modo reuocantur ad hominem principem cæterorum, eiusq. actiones iuuant. Itaque primariæ ſint eius actiones in poëſi. reliqua ſecundo ſaltem ordine referantur. Denique in hac re, vt in cæteris, multum valet auctoritas poëtarum. Illi de omnibus cecinerunt; igitur omnia canenda ſunt in poëſi.

Poëſis materiam eſſe res omnes. Cap. X.

NIhil ergo excludamus à poëſi. In rerum omnium ampliſſima vniuerſitate ſpatietur liberè. Hoc illi permittunt nobiles auctores. & interpretes Ariſtotelis, quorum iudicio * *Materia Poëtica determinato nullo genere, veluti nec Rhetorices clauditur; niſi forte pertractata exornari, vel niteſcere non queat.* Eodem munere poëſim vltro impertit eloquentiæ Princeps Tullius: *In hoc quidem certè,* inquit *prope idem* (Poëta cum Oratore) *nullis vt terminis circumſcribat, aut definiat ius ſuum, quominus ei liceat eadem illa facultate, & copia vagari quà velit.*

*Torquat. Taſſ. l. 1. de poem. Heroico. Alexan. Piccolom. in proœm. * Madius in prolog. Hieronymo. Fracaſt. in Nauger. ſiue de Poet. Cic. 1. de Orat.*

Ratio eſt ab iiſdem deprompta; quia cum poëſis ad iuuandum hominem inſtituta ſit, duplicem in homine facultatem intelligendi, & volendi poteſt dirigere. Vim volendi propoſitis actionibus humanis, & virtutum exemplis ad bonum impellit: cognitionem verò & intelligendi facultatem naturalium rerum expoſitione paſcit. Ideò apud Franciſcum Petrarcham percontanti Scipioni:

Lib. 9. de Africa.

—— Quæ ſint permiſſa Poëtis,
Famoſaq. rei certos agnoſcere fines
Te liceat, monſtrante, mihi.

Reſpondit Ennius:

Quidquid labor hiſtor[illegible]rum eſt,
Quidquid virtutũ cultus, documẽtaq; vitæ,
Naturæ ſtudium quidquid, licuiſſe poëtis
Crede, ſub ignoto tamen vt celẽtur amictu,
Nuda alibi, et tenui fruſtrẽtur lumina velo,
Interdũq; palã veniãt, fugiantq; viciſſim.
Qui fingit quodcunque refert; non ille Poëta
Nomine cẽſendus, nec vatis honore, ſed vno
Nomine mẽdacis. potes hinc perpẽdere qdqd
Scire petis.

Demum inſtar omnium eſt auctoritas poëtarum, qui omnia verſibus complexi ſunt. Neque enim alio modo inſtitutiones poëticas ſcripſit Ariſtoteles, præcipitq. faciendum quod feciſſe viderat poëtas. Et in omnibus artibus optimum eſt facere quod optimi artifices fecerunt.

Res omnes aptari Poëticæ ratione veriſimilitudinis. Cap. XI.

NOndum liquet, quomodo ſibi vendicet omnia Poëſis. Hæc enim & Rhetorice aſſumit, & Hiſtoria. Sed materiam

riam fermè communem ſingulæ artes fine ſuo, ac peculiari forma non tàm diuidūt, quàm ſibi aſtringunt, & priuati iuris faciunt. Quod & Poëticæ proprium eſt. Itaque, ſi nihil reſpuit Rhetorica aptum ad perſuadendum: Hiſtoria, vt de veris admoneat;eadem pertractat Poëſis,vt modo ſuo proprio exponendi, res colorando immutet, affingendo, minuendo, nec ſectando quod verum, ſed quod veriſimile ſit, atque credibile. Quare forma, quã tàm amplam materiam quodammodo figuratam ſibi accommodat Poëſis, eſt veri ſimilitudo. Veriſimile autem tàm verum, quàm falſum eſſe poteſt, & ſiquidem verum ſit, non ideò ſemper creditur, quia veritatem præfert. Multa enim vera credi non poſſunt ab hominibus, quod fidem excedunt. Contra verò falſum credi etiam poteſt, quia ſuapte natura incredibile non eſt. Nam vt Philoſophus docet, multa ſunt falſa probabiliora veris. Sic Solem multis partibus terra eſſe maiorem, veritas eſt Mathematicis demonſtrationibus propugnata: nec tamen à multis creditur; quia qui terra dicitur eſſe maior, aureo diſco maior non videtur. Hoc ipſum ampliùs ſic explico. Veritas rerum ex eo perfici-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tur, vt eodem cognoſcantur, & dicantur modo, quo ſunt, vel fuerunt aliquando. Qui enim ab hoc declinat, declinat à vero. Contra veriſimile eſt, quod etſi rem, vt eſt in ſe ipſa, non exponit; tamen ad aſſenſum audientem mouere poteſt, quòd aptè concinnata narratio rem creditu facilem, probabilemq. enunciat; quamuis fortè peruicaci animo auditor, & paratus ad repugnandum nolit aſſenſum præbere. Hoc potiſſimùm poëtarum eſt: primum illud hiſtoricorum. Ideò hiſtorici omnia quæ geſta ſunt enarrant, nec magnopere curant, ſuperentnè probabilitatem, ac fidem, modò à veritate non abhorreant. Qua de cauſa multa ab hiſtoricis narrata ſæpè non credimus. Contra poëtæ, quibus parum cordi eſt veritas, ſed ſola veriſimilitudo; vt credibilem narrationem contexant, multa rerum veritati addunt, multa adimunt: occultant alia, alia colorant, vt quod maximè decet, etiam è fictis appareat.

ADDITAMENTVM.

Cap. 7. Poet. ſeu partic. 52. Tale eſt veriſimile, & vniuerſale poëticum, de quo Ariſtoteles: φανερὸν, inquit, ὅτι ὀυτὸ τὰ γινόμενα λέγειν, τοῦ-

τὸ ποιητοῦ ἔργον ἐστὶν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ τὸ ἀναγκαῖον. *Perſpicuum eſt, non poëta opus eſſe facta ipſa dicere, ſed quemadmodum geri debuerint: & quæ fieri poſſunt ſecundũ veriſimile, vel neceſſarium.* Eoq. docet hiſtoricũ differre à poëta τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν μὲν οἷα ἂν γένοιτο. *Illum facta exponendo, hunc qualia fieri potuerint* Demum cum vniuerſalia poëſis: quæ ſingularia ſunt tradat hiſtoria: ἔστι δὲ, inquit, καθόλου, τῷ ποίῳ τὰ ποῖ' ἄττα συμβαίνει λέγειν, ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον. *Eſt autem vniuerſale, quæ cuique conuenientia ſunt, dicere, vel facere ſecundum veriſimilitudinem, aut neceſſitatem.* Poëſis igitur neque rerum veritatem, neque falſitatem perſequitur, ſed quod illis maximè congruit, expoſituq. veriſimile eſt, atque credibile. διὸ καὶ φιλοσοφώτερον, καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. *Et ideò quid ſapientius, ac præſtantius poëſis, quam hiſtoria eſt.*

Digitized by Google

Quomodo veri ſimilitudo ſit in omnibus poëmatis. Cap. XII.

VErùm hinc ſtatim quæſtio emergit. Quomodo pleriſque poëtarum laurea concedenda ſit, qui veritatem in ſua poëſi conſectantur. Et verò quidam tantum tribuunt figmentis, & fabuloſæ imitationi, vt hac ſola contenti etiam in ſoluta oratione poëſim agnoſcant. In quo ipſi magis fabuloſi ſunt. Alij rurſus & carmen, & fabulas exigunt: ſed nimis pertinaciter hæc duo componunt, vt ſi alterutrum demas, illicò poëſis euaneſcat. Quamuis igitur plerique poëtarum veritatem profiteantur, ſeu diſſerendo de natura, ſiue artium præcepta tradendo, veriſimilem tamen narrationem relinquere non poſſunt. Nam duplex veri ſimilitudo poëtarum volumina percurrit. Altera rebus ipſis, quæ narrantur: altera verbis adhæreſcit. Prior illa fabulas comitatur, poëta nimirum geſtis rebus affingente aliquid, vel detrahente, decori & conuenientiæ gratia. Poſterior veri ſimilitudo verbis ſine figmento adnectitur. Hæc enim ob figuratam dictionem, germanam poëtarum

tarum

tarum phraſim, & licentiam verè poëticam non tam ſignificant rem veram, quam aliud quidpiam vero ſimile, vnde aſſequamur veritatem. Res conſtabit exemplis. Agri colendi præceptor diceret, *Vere nouo arandum eſt*. Idem præceptum in libris, vbi non fingit, ſic tradit Virgilius:

Vere nouo, gelidus canis cũ mõtibus humor 1. Geor.
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit
Depreſſo incipiat iam tum mihi Taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Vera præceptio eſt, ſed multa veriſimilia continet. Neque enim orto vere ſemper niues liqueſcunt, & montibus defluunt, nondum tepefacto vbique locorum cœlo: & quædam tota ferè æſtate perdurant. Non ſemper flantibus zephyris glebæ ſoluuntur. Quid autem ſi aliquando hi flatus conquieſcant? Laborantem quidem taurum videmus ſub aratro, ſed gementem non audimus: nec ſemper vomer aratione ſplendeſcit. Hæc tamen libertate poëtica congeſta in vernam arationem ſunt, vt è veriſimilibus & credibilibus adiunctis vera præceptio eliciatur:

tur: *Vere nouo eſt arandum*. De Solis defectu, occiſo Cæſare, ſic nudè ſcripſit Hiſtoricus: *Fiunt prodigioſi, & longiores Solis defectus, qualis occiſo Dictatore Cæſare, totius pœnè anni pallore continuo*. At Virgilius veritate poëtica.

Plin lib.2. cap 30.

1. Geor.

Ille etiã extincto miſeratus Cæſare Romã,
Cùm caput obſcura nitidũ ferrugine texit,
Impiaq́; æternam timuerunt ſæcula noctẽ.

Tribuit ſenſum & commiſerationem Soli, humana membra, defectum voluntarium, ferrugineis velis inuoluto capite: metum æternæ noctis annis decurrentibus iniectum. Quæ verum quidem defectum indicant, ſed ipſa vera non ſunt; à poëtis tamen vel ſine fabulis vendibilia. Sic in ſimili Lucanus.

3. Pharſ.

Ipſe caput medio Titan cum ferret olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Inuoluitq́; orbem tenebris, gentesq́; coëgit
Deſperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole, Thyeſtea noctem duxere Mycenæ.

Quid fabuloſius ſine fabula? Liuius de Capitolio defenſo ob Anſerum clangorem ſic verè ſcripſit: *Galli tanto ſilentio in ſummum euaſere, vt non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal ad nocturnos ſtrepitus excita-*

Lib.5.

cita-

citarent. Anſeres non fefellere, quibus ſacris Iunoni in ſumma inopia cibi tamen abſtinebatur: quæ res ſaluti fuit. Namq; clangore eorum, alarumq; crepitu excitus M. Manlius, &c. Idem narrat poëta: nec fingit, ſi rem ſpectes: ſi modum, colorat verborum, & ſententiarum fuco.

Atque hic auratis volitãs argenteus Anſer Aeneid. 8.
Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat.
Galli per dumos aderant, arcemq; tenebãt,
Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea Cæſaries ollis, atque aurea veſtis:
Virgatis lucent ſagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quiſque alpina coruſcant
Geſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

Multa hiſce carminibus, quæ rem veram produnt, inſunt cum hiſtorica veritate pugnantia. Nam porticus illa tempeſtate auratæ non erant, ſed multò poſt inauratæ ſunt. Nec Anſer argenteus, ſed candidus: non vnus, ſed plures. Non cecinit adeſſe Gallos in templi limine. Quo enim cantu & voce Gallos expreſſit iam templum ineuntes? perinde atque Anſer inſtar humanæ vocis res ſignificantis, ſonum ediderit. Neque in templo aderant hoſtes, qui vix in ſummam euaſerant rupem.

Ne-

Neque cœperunt arcem, aut tenuerunt. Duo quiſque iacula ; altera manu, altera oblongum ſcutum gerere non potuerunt. quomodo enim cum hiſce impedimentis ſaxa, & cautem amplexi in Capitolium aſcendiſſent? Huiuſmodi eſt poëtica in narrando fides, cùm abſtinetur à figmentis. Quibus loquendi formulis, & aliena, vt dicebam lingua, poëſis materia efficitur verborum tenus veriſimilis; nam veriſimilitudo actionum quam tragici, Heroici, Comici conſectantur, eſt multo perfectior.

Cuiuſlibet Poëtæ opus eſſe à veritate alienum. Cap. XIII.

NOndum fortaſſe factum eſt ſatis cynicis quibuſdam, qui vt in fabuloſam poëſim incurrant, laternam Diogenis accendunt in meridie. Sed his ſciendum eſt, poëtas, quamuis vera præcipiant, vel narrent, nihilominus Muſarum vel imperio, vel tradita poteſtate ſubinde ad falſa & conficta, ſed credibilia diuertere, quod non liceret Hiſtorico, aut alteri idem exponenti proſa oratione. Columella tradit præceptiones ruſticas: tradit

tradit & Virgilius. Ille ſemper veras, & experimento probatas: hic identidem fabulas, & aliena permiſcet, tanquam pertineant ad præcepta agriculturæ. Itaque ſcribit natos homines è lapidibus Deucalionis; & ipſis duriores: poſt aureum ſæculum labores à Ioue imperatos: Cererem inuentricem frumenti: Gigantum prælia: alia permulta, quibus non tàm à veritate, quam à recta narratione aberrat. ſed hoc poëtis ex arte licet Quo fit, vt totum opus verum non ſit, cùm falſa includat: ſed, quia tàm vera, quàm falſa veriſimiliter coniunguntur, veriſimile relinquatur. Eodem modo Lucanus, qui à pleriſque hiſtoricus dicitur, multa congeſſit, quæ vera & hiſtorica non ſunt: nempe, viſam Cæſari Romam vultu, & voce à bello reuocantem: eum accitis ex vniuerſa Gallia legionibus, & motis vndique ſignis ad Vrbem veniſſe; quod initio belli actum non eſt: eodem tempore omnia ſuperueniſſe prodigia, & portenta, quorum aliqua duntaxat, teſte Dione, non tamen omnia tamq. infauſta contigerunt. Sed poëta, non quid acciderit, ſed quod accidere potuerit, perſequitur. Denique veriſimiles ſunt querimoniæ Arminen-

1. Georg.

Lib. 1. Pharſ.

nenſium: Oratio Curionis ad Cæſarem: Epiſodica deſcriptio Galliæ. quibus ferè omnibus conſtat liber. Idem in Elegorum carminum auctoribus, alijsq. omnibus obſeruari poteſt. quare ipſorum poëmata ab hiſtorica veritate longe aliena verè lauro, hederaq. digna ſunt; adiudicante omnibus Ouidio ſic vſum loquendi:

3. Am. el. 11. *Exit in immenſum fœcunda licẽtia vatũ,*
Obligat historica nec ſua verba fide.

ADDITAMENTVM.

AIunt quidam hos tunc eſſe poëtas, cùm fingunt: cùm in veris verſantur, non eſſe. Sed cur Virgilius in duobus
1. Georg. carminibus, quæ de Deucalione ſunt, poëta dicitur, in ſequentibus lauream amiſit? cùm præſertim ipſo loquendi modo res fiat veriſimilis.

Accedit, quòd qui fabulas ſcribunt vera non raro permiſcent, (immò non licet in multis à vero recedere: vt, in deſcriptione locorum, enumeratione ætatum, ac temporum, moribus populorum, & ſimilibus) nec tamen in vero verſari dicuntur; quia ipſo genere operis aberrant à veritate. Quod ſi Virgilius dum aliqua vera narrat in Aeneide, etiam in illis poeta habetur,

betur, quia fictis & veriſimilibus adiunguntur: contrà in Georgicis dum veris præceptis inhæret, & ſubinde ad falſa digreditur, atque omnia poëtica loquutione ad veriſimilitudinem figurat, Poëta habendus eſt. Quam certè narrandi licentiam auctori profitenti veritatem nullus daret; nam à præceptis poëticæ proficiſcitur.

Lyricam poëſim fieri ſine fabulis. Cap. XIV.

VAlidum hoc eſt pro re noſtra argumentum. Nam Dithyrambici, ſeu Lyrici poëtæ fermè nihil fingunt. Habemus præ manibus Græcos, Latinos, Italos, alioſque. Omnes ferè in laudem Deorum, Heroum, Principum, Victorum, aut ad amicos, & id genus Odas ſcripſere. ijſq. materiam præſcribit Horatius: *In Poëtica.*

Muſa dedit fidibus Diuos, pueroſq; Deorum;
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Habent hi quidem interdum Odas integras de fabulis, aut quædam fabuloſa illis interſerunt, quibus vera ineſt materia;

ſed

ſed tamen nemo dicet eos agere de commentis. Quid ergo? hi poëtæ dicendi non ſunt? immò ſi phraſim ſpectas, quidam poëtarum turgidiſſimi & audaciſſimi. Eſt enim his, familiaris longitudo verborum, & dictionum compoſitio, vt ait Ariſtot. & χαρακτὴρ, ſeu forma carminis propria horum videtur eſſe, quam in Pindaro laudat Horatius.

3. de Rhetor.

Ode 2. lib. 4.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet, immenſusq; ruit profundo
Pindarus ore.
Laurea donandus Apollinari
Seu per audaces noua Dithyrambos
Verba deuoluit, numerisq; fertur,
Lege ſolutis.

Ariſtoteles autem ipſo ſtatim initio poëticæ poëſim in quatuor formas, quarum vna dithyrambica eſt, diſtinguit. Cum ergo hi non fabuloſam, ſed veriſimilem, de qua dixi imitationem ament, hæc poëſi ſufficiet.

ADDITAMENTVM.

PLacet quibuſdam hoc genus Carminis primùm fuiſſe inuentum à Poëtis, vt tripudia, & ſaltationes imitarentur, quas

quas credebantur Mænades, alijq. phanatici ſacerdotes agitaſſe in triumpho Liberi patris: ideoq. dithyrambos appellatos, quia & Bacchus Dithyrambus ſit. Verum hæc imitatio ſatis non eſt ad fabulam cōſtituendam, quæ actio eſt ficta, carmine expoſita. Nam ſi quæcunque imitatio ſufficit poëtæ, etiam Empedocles, & Lucretius imitantur differentes philoſophos: Virgilius in Georgicis probatam experimento culturam in exemplum intuetur: Lucanus bellum pharſalicum: punicum Silius. Itaque abſque controuerſia hi omnes erunt poëtæ dicendi. Sed eſto, quidpiam confictæ imitationis in dithyrambis duntaxat, exortuq. Lyricæ poëſis aliquis aſpiciat; poſtea tamen non videbit, cùm ad alia omnia traducta ſit: & Horatius Pindarum laurea donandum prædicet non modo cùm ſcribit dithyrambos, ſed cum mortuos deplorat reges, & victores canit:

Siue quos Elea domum reducit
Palma cæleſtes, pugilemve, equumve
Dicit: & centum potiore ſignis
Munere donat.

Carminum ſcriptores abſque fabulis eſſe poëtas. Cap. XV.

HInc enodatur multorum altercationibus agitata quæſtio: An videlicet poëtæ cenſendi ſint, quibus carmina ſine fabulis placuerunt. Qui ſanè poëtæ habendi omnino ſunt. Si, enim hos expungimus, quos retinemus? Lyrici, Elegi, Epicorum quam plurimi pauca fingunt. Itaque apud Græcos, Latinos, Italos, aliasq. gentes communi naufragio interit Poëtarum nomen. Nihil enim libentius, quam hiſtorias, artes, res naturales, laudes, vituperationesq. alienas carmine complectuntur. Atqui, vt ſapientiſſimi viri vox eſt, *Virgilium circa Aeneida poëtam eſſe, circa Georgica verò non eſſe, valdè mirum:* Itemq. alios, qui ab imitatione fabuloſa receſſerunt. Horatius enim publicam omnem, & communem materiam propriam poëtæ fecit, eiq. addixit, ſi poëtico more tractetur. Et me quidem maximè mouet auctoritas omnium Poëtarum, qui ſe, quamquam non ſcribunt fabulas, veriſſimè poëtas pronunciant. Virg.

Hieronym. Fracast. in Naug.

Vt idem Hierony. animaduertit.

2. Geor.

Me verò primum dulces ante omnia Muſæ,

Qua-

Quarum ſacra fero, ingẽti perculſus amore
Accipiant.

Et alibi cùm dixiſſet, multos fingendo ſibi nomen adeptos, ſubdit: 3.*Georg.*

Tentanda via eſt, qua me quoque poſsim
Tollere humo, victorq; virùm volitare per ora.

Scilicet: vt omnes nihil ſciſſe in re poëtica, & mentitum poëtæ nomen illi exprobrent ad dedecus ſempiternum. Deinde vero:

Primus ego in patriam mecum, modò vita ſuperſit,
Aonio rediens deducam vertice Muſas.

Idem oſtendit Muſas non abhorrere à materia ruſtica. Nam cum laudaſſet Italiam, addit: 2.*Georg.*

—— Tibi res antiquæ laudis, & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes,
Aſcræũq; cano Romana per oppida carmẽ.

At Lucretius: *Lib.4.*

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: iuuat integros accedere fontes,
Atque haurire, iuuatq; nouos decerpere flores,
Inſignemq; meo capiti petere inde coronã,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ.

At quæ cauſa? quod fingat?

Primum ego quod magnis doceo de rebus, & arctis
Relligionum animos nodis exoluere pergo.
Deinde quod obſcura de re tã lucida pango
Carmina, Muſæo contingens cuncta lepore.

Lib. 1. Idem de Ennio, qui non multùm ab hiſtoria receſſit.

Ennius vt noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronã.

Lib. 4. el. 1. De eodem Propertius:

Ennius hirſuta cingat ſua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua.

Lib. 4. el. 3. Qui de ſe ipſo:

Me iuuat in prima coluiſſe Helicona iuuẽta,
Muſarumq́; choris implicuiſſe manus.

Eleg. de eius morte. Ouid. de Tibullo:

Tenè ſacer vates flammæ rapuere regales?

Cui alios adiungit:

Obuius huic venies hedera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catulle tuo.
Tu quoque, ſi falſum eſt temerati crimen amici,
Sanguinis, atque animæ prodige Galle tuæ.

Od. 3. Horatius de ſe ipſo:

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dijs miſcent ſuperis.

Lib. 3. od. 4. *Veſter Camœnæ, veſter in arduos*
Tollor Sabinos.

Sume

Sume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Quæ paſſim occurrunt.

Perfectiores poëtas eſſe fabularum auctores. Cap. XVI.

HÆc diximus ne tot illuſtres viros moueremus ſenatu Poëtarum. Perfectiorem tamen poëſis formam, Ariſtotelis, & omnium iudicio illi exprimunt. qui rebus veris aſſuunt fabulas; cuiuſmodi ſunt Tragici, & Epici. Tunc enim perfectior imitatio fit, cũm res non ſolum narrandi modo, ſed etiam antẽ narrationem recedit à veritate, & ad veri ſimilitudinem accedit: vt deinde referatur, non vt geſta eſt, ſed vt geri debuit, ac potuit. Itaque vere Plautus de fabuloſis poëtarum inuentis. *In Pſeudolo.*

Sed quaſi Poëta tabulas cum cœpit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen:
Facit illud veriſimile quod mendaciũ eſt.
Nunc ego Poëta fiam; viginti minas
Quæ nuſquam ſunt, inueniam.

Quod conſenſit cum Ariſtotele προαιρεῖσθαί τε ἀδύνατα, καὶ εἰκότα, μᾶλλον ἢ *Cap. 22. poët. ſeu part. 134.*

ἀδύνατα, καὶ ἀπίθανα. *Eligereq́ʒ impoſſibilia, & veriſimilia conuenit potius, quàm poſſibilia, & incredibilia*, In fabuloſis enim commentis ſola veri ſimilitudo, & probabilitas ſpectatur.

ADDITAMENTVM.

Aliorum hìc tela vel frangenda, vel retundenda ſunt. qui enim contra pugnant ducis mucrone nos petunt. Nam Ariſtoteles, οὐδὲν, inquit, δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ, καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον. διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον, ἢ ποιητήν. *Nihil autem commune eſt Homero, & Empedocli, præter metrum. propterea illum quidem poëtam vocare iuſtum eſt: hunc autem phyſiologum potius quàm poëtam.* Et verò eo loco Philoſophus communem de qua dixerat opinionem euertit, nempe poëtas à carmine denominari. Hæc dubitatio facile diluitur. Nam Homero cum Empedocle nihil eſt commune, ſi res nudas ſpectes, & exutas dictione poëtica. Homerus enim fabulas, & falſa: Empedocles naturæ arcana, & vera perſequitur. Quæ duo per ſe ſe conuenire non poſſunt: conueniunt autem adiuncta metro,

Cap. 1. poet. ſeu partic 9.

Madius.

tro,

tro, ideſt carmini, quod eſt vtrique commune. Porrò carminis, & eorum, quæ carmen exigit beneficio, tam res veræ Empedoclis, quàm fictæ Homeri veri ſimilitudinem induunt, quam licentia ſermonis, & ſchemata poëtica ſecum afferunt. Quamuis Homero non hæc ſolum verbis, ſed alia rebus conflata veri ſimilitudo tribuenda ſit, qua fabulæ conſtant ante ſcriptionem carminis. Verum illa exuta verſu poëſi non ſufficit. Neque enim poëta cenſendus eſt, qui fabulas inuentas hiſtorico more deſcriberet. Sic enim Heliodorum, Achillem Tatium, Apuleium, & eos qui Amadiſij generis fabulas tradiderunt è poëtis expungimus. Quòd ſi Ariſtoteles Empedoclem phyſicum potius quàm poëtam appellat, non tamen ſemouet poëtarum choro, vt quidam adnotarunt; ſed oſtendit, cùm Empedocles imitatione philoſophicæ veritatis abſtineat à fabulis, in quo perfectior poëſis ſita eſt, in eo magis elucere materiæ phyſicam veritatem, quam poëticam veri ſimilitudinē. Hæc enim in eo opere tantùm verbis alligata eſt, non fictis rebus, vti explanauimus. Quod autem illa verba vim non habeant excludendi, liquet ex ſimilibus lo-

quendi modis. Si enim dicat aliquis, paries eſt potiùs niger, quàm albus, non continuò candorem ſemouet à pariete: ſed ait, illitum parieti candorem paulùm in nigritiem declinare. Neque verò poëticæ magiſter lauream negaſſet Empedocli, quam illi ſpontè dederat. Nàm vt teſtatur Diogenes Laërtius, Stagirita in libro de Poëtis, aſſerit Empedoclem Homericũ, acutumq. in dicendo fuiſſe, tranſlationibus item, ac cæteris poëticis figuris vſum. Quæ omnia opus ex modo loquendi veriſimile faciunt. Eidem elogium egregiè Lucretius poſuit.

In vita Emped.

Lib. I.

Nil tamẽ hoc habuiſſe viro præclarius in ſe,
Nec ſanctũ magis, & mirũ, carũq; videtur.
Carmina quin etiam diuini pectoris eius
Vociferãtur, & exponunt præclara reperta
Vt vix humana videatur ſtirpe creatus.
Hic tamẽ, & ſupra quos diximus, inferiores
Partibus egregiè multis multoq; minores,
Quamquam multa bene, ac diuinitus inuenientes
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedere,
Sãctius & multo certa ratione magis, quàm
Pythia, q̃ tripode ex Phœbi, lauroq; pfatur.

Vides in quo Poëtarum, & Sapientum numero collocetur Empedocles.

Alte-

Alterum, quo petimur telum, ſed tamen eodem modo deuitandum, eiuſdem Ariſtotelis eſt: ὁ γὰρ ἱστορικὸς, καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν, ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν. εἴη γὰρ ἂν τὰ Ἡροδότου, εἰς μέτρα τεθῆναι, καὶ οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία τις μετὰ μέτρου, ἢ ἄνευ μέτρου. *Hiſtoricus enim & poëta non quòd cum metris, aut ſine metris dicant, differunt; liceret enim Herodoti ſcripta metro componere, & nihilominus Hiſtoria quædam eſſet cum metro, quā ſine metro.* Carmen igitur quid addit, in quo videmur vim, ac neruos Poëticæ ponere? Cap. 7. partic. [illegible] partic 52. Pet. Victor.

Congrua reſponſio eſt, ſi dicatur ibi Philoſophus loqui de perfecto poëta, nempe tragico, qui carmini fabulas attexit. Quod ſequentia confirmant exempla Comicorum. ſubdit enim, ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονεν. *Iam verò & in Comœdia hoc manifeſtum eſt.* Quare ſententia prior Tragico congruebat, qui fingendo actionem minuit, & auget ad arbitrium.

Sed quoniam illud præceptum commune videtur omnibus, & poëtæ officium eſſe, rem narrare veriſimilem, atque vt geri potuerit: Aio, poëtam, & hiſtori-

cum differre carmine; ſi carmen non vnum metrum, & compoſitam quantitatem ſyllabarum, ſed alia includat, vt dicebam, quæ ſanè ſuapte natura debet includere. Tunc verò Herodoti hiſtoria carmine comprehenſa non eſſet hiſtoria, ſed quidpiam veriſimile, & vniuerſale: ideſt, quid geri potuerit exponens, non quid geſtum ſit. Adſtipulatur Scaliger. quærens enim de Lucano, an eſſet Poëta: *Sanè eſt*, inquit. *Nugantur enim more ſuo grammatici, cum obijciunt illum Hiſtoriam ſcripſiſſe. Nam, quis neſcit omnibus Epicis poëtis hiſtoriam eſſe pro argumento? quam illi aut adumbratam, aut illuſtratam, certè alia facie cùm oſtendunt, ex hiſtoria conficiunt poëma. Sic multa Lucano ficta. Patriæ imago, quæ ſe ſe offert Cæſari: excita ab inferis anima, atque alia talia.* Ex quo liquet, non poſſe rem carmine deſcribi, quin data poëtis facultate, multa illuſtrentur, addantur, mutentur, & aliam faciem aſſumant, ob crebras digreſſiones, commixta figmenta, & cætera lumina poëtarum. Hanc verò de carmine ſententiam luculento teſtimonio, ac totidem ferè verbis Horatius confirmauit.

Cap. 5.

Libro 1. Poet. c. 2.

Pri-

mùm ego me illorum, dederim quibus Lib. 1. ſer. ſat. 4.
ſſe poëtas,
erpam numero; neque enim conclude-
e verſum
eris eſſe ſatis: neq; ſiquis ſcribat, vti nos
noni propiora, putes hunc eſſe poëtam;
enium cui ſit, cui mens diuinior, atq; os
gna ſonaturum, des nominis huius ho-
orem.
rco quidam, Comœdia, necnè poëma
, quæſiuere; quod acer ſpiritus, ac vis
verbis, nec rebus ineſt: niſi quod pede
erto
ert ſermoni ſermo merus. at pater ardēs
it, quod meretrice nepos inſanit amica,
us vxorem grandi cum dote recuſet
ius, &, magnum quod dedecus, ambu-
et ante
lem cum facibus. Numquid Pompo-
ius iſtis
diret leuiora, pater ſi viueret? Ergo
ſatis eſt puris verſu perſcribere verbis,
em ſi diſſoluas, quiuis ſtomachetur eodē
o pſonatus pacto pater. his, ego quæ nūc,
n quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
npora certa modcsque, & quod prius or-
dine verbum eſt,
lerius facias, præponens vltima primis:
Non

Non vt ſi ſoluas: Poſtquam Diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portasq́ refregit;
Inuenias etiam diſiecti membra poëtæ.

Nihil pro me clarius.

Dicet aliquis, quorſum tanta vis tribuitur carmini? hoc enim vel amoto ſtabit poëſis. Nam Epopœia ſpecies ſanè præclara ſcribitur ſine verſu. Ait enim Ariſtoteles: ἡ δὲ ἐποποιΐα μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς, ἢ τοῖς μέτροις χρωμένη. *Epopœia ſolùm nudis ſermonibus aut metris vtens*. Nudi quidem ſermones ſoluta oratio ſunt. ſi ergo aut his, aut metro cõtenta eſt Epopœia, carmen aliquando repudiabit. At reſpondeo eum locum habere plures interpretationes quam verba. ij maximè placent, qui aiunt, Epopœiam vti nudis ſermonibus, ideſt denudatis rhytmo. & harmonia, quam adhibent aliæ ſpecies poëſis. Particula autem ἢ non diuidit, ſed potius corrigit; perinde Philoſophus diceret: Epopœia ſolùm ſermonibus nudis, ſiue vt melius dicam, metris nudis vtitur.

Cap 1. ſeu partic. 6. Poet.

Pet. Vict. qui pluribꝰ hac cõfirmat, & inuehit in Comicos Italos ſine carmine ſcribentes Comœdiã.

Sub

Sub qua diſciplina collocanda ſit Poëſis. Cap. XVII.

NObiles auctores Poëſim ſub Facultate conſtituunt. Eſt autem Facultas, quæ vtramque partem probabilibus probat argumentis: ſtrictè Dialectica, & pugno ſimilis: amplè Rhetorica & inſtar expanſæ manus. His addetur Poëtica, quæ rem eandem figmentis variare poteſt minuere, augere. Fertur adeò in contraria exprimendo, & imitando, nec magis verum, quàm falſum veriſimiliter referendo. Itaque eius argumentatio ſi aliqua eſt, Exemplum eſt. Neque obſtat, quominus facultas dici poſſit, quòd videatur interdum perſequi rerum veritatem; nam etiam in huiuſmodi tractatione non abhorret à figmentis, & falſa permiſcet; vt eſſemplo eſſe poteſt Lucretiana poëſis, quæ cum veris naturæ arcanis fabuloſa coniungit: & Virgilius inſtaurationem apum refert in Ariſtæum. præter quam quòd tranſlatis, alieniſq. dicendi formis fit fucus veritati.

Mad. in præf. ad poëticam. Iacob. Zabar. lib. 2. de nat. log. Torq. Taſſ. lib. 2. de poem. her.

De

De præſidijs ad poëſim conſequendam. Cap. XVIII.

Diogenes Laërtius in vita Ariſtotelis: τριῶν, inquit, ἔφη δεῖν παιδεία, φύσεως μαθήσεως ἀσκήσεως. *Tria dicebat eſſe neceſſaria eruditioni, & doctrinæ cōſequendæ: Naturam, diſciplinam, exercitationem.* Hiſce præſidijs viderat ille ſapientum apex comparari ſapientiam, quorum ſi aliquid deſideratur, ſpes omnis adimitur acquirendæ doctrinæ. Inſtitutio enim excolit, expolitq́. naturam: quæ rudis, & inculta perinde ac ſi non eſſet, æſtimatur. Nihilominus ingenium tàm proprium poëtarum eſt, vt poëtæ naſci dicantur, quaſi nullo vel conatu, vel exercitatione acquirant, quod non expreſſerint à natura. Quod tam rarum eſt in artibus, vt neſcio an ſola poëſis ſibi hoc præ cæteris vindicarit. Quis enim neſcit, labore, & conſtantia dolari quodammodo ingenia, & diſciplina etiam belluas dediſcere naturam?

Scilicet ingeniũ placida mollitur ab arte;
Et ſtudio mores conuenienter eunt.

3. de art. Vt verè Ouidius. Contra de poëtis Cicero:

cero: *Atqui ſic à ſummis hominibus, eruditiſſimisq; accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu afflari.* Neque enim cõmunem in ordinem redigenda poëſis fuerat; quippe quæ humano quidpiam præ ſe maius fert; eoq; nomine regiæ par maieſtati. nam & Rex, & poëta (vt fertur) naſcitur. Et creati quidem non raro ſunt reges, qui reges nati non fuerant. At poëtæ ſeuerè edicitur: *Pro Arch. poet.*

Tu nihil inuita dices, faciesq; Minerua. *Horat. in Arte.*

Quale ſit ingenium Poëtarum. Cap. XIX.

HÆc quidem ſvera ſunt, nec tamen ſolitudo in Parnaſſo eſt; quòd plerique poëſim valdè feracem arbitrantur dementia, vt aiunt, temperatam. Sic Democritus

—— *Excluſit ſanos Helicone poëtas.* *Horat. in Arte.*

Et olim plurimi ſpoeticæ famam aucupabantur æmulatione ſtultitiæ: perinde ac poëta parum hominis haberet. At hi, & ſi qui alij ſunt, dementiam, vt volunt, ſibi vin-

vindicent; poëſim verò non item. Quid enim humanius illa dixeris, qua etiam feræ cantu delinitæ exuunt feritatem? *Saxa, & ſolitudines voce reſpondent, beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur, atque conſiſtũt.* Verum hi homines fuerunt, quos morum feritate immanes ad humanitatem Poëſis erudiuit.

Cic. pro Archit. poet.

Horat. in Art poet.

Siluestres homines, ſacer interpresq́; Deorũ
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres, rabidosq́; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blãda
Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam
Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus atque
Carminibus venit.

Hi tantarum rerum auctores quomodò dementes? profectò ſi aliqua illis ineſt, *amabilis* eſt, vt ille ait, *inſania*. Itaque ingenium nacti ſunt placidum, ac ſuaue, Muſarum ingenio haud abſimile, quas Virgines, & Dearum placidiſſimas credidit antiquitas. Sed quoniam dicitur eſſe

qui-

Digitized by Google

quidam furor Poëtarum, hic à nobis declarandus eſt.

Quid ſit furor Poëticus. Cap. XX.

HVnc largè auctores poëtis impertiunt. Cicero: *Sæpè*, inquit, *audiui poëtam bonum neminem (id quod à Democrito, & Platone in ſcriptis relictum eſſe dicunt) ſine inflammatione animorum exiſtere poſſe, & ſine afflatu quodam furoris*. Scripſit hoc Plato in Phædro, & alibi, cui ſubſcripſit Ariſtoteles, ἀφυοῦς ἡ ποιητική ἐςὶν, ἢ μανικοῦ, *Ingenioſi poëtica eſt, vel furioſi*. Ab his ergo Philoſophis Poëta furorem habet, à quibus cæteri philoſophiam & ſapientiam hauſerũt. Nec plerique poëtarum diſſimulant tentari ſe inſanis hiſce motionibus. Verùm ne aliquis carminum ſcriptores tanquam fanaticos oderit, duplicem Plato diſtinguit furorem: alterum ab humanis morbis: alterum ab alienatione diuina. Primus ille noxius: ab altero varia commoda vaticinijs, prædictionibus, carminibus, vt ait ille, promanarunt. Ars enim qua ſuperſtitiosè veteres futura prænoſcere, ac prædicere

2. de Orat.

Et 1. de diuinat. In Ione, & 4. de legib. In poët. c. 14.

In Phædr.

cere conabantur à furore ſortita nomen μανική primò, deindè μαντική ab imperitis appellata eſt. & olim Phœbades cum oracula ederent, non ante deſtiterunt,

Virgil. — *Quã ceſſit furor, & rabida ora quierũt.*

Huius ergo furoris tertium quoddam genus iniectum à Muſis conſtituit Plato, quo afflãte, Poëtæ cantu verſuq. poſteros iuuant. quod cum aliorum, tum Tynichi Calcidenſis confirmat exemplo: qui antea Poëta nullius nominis, repente Muſarum afflatu hymnum in Apollinem pulcherrimum cecinit, ab omnibus poſtea decantatum. Itaque ſi Platonem conſulas, Poëticus furor eſt alienatio mentis Muſarum afflatu iniecta ad pangenda carmina, vtilitati mortalium. Quò videtur Ouidius reſpexiſſe, dum ait:

6. Faſt. *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo;*
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Et alibi:

3. de Art. *Eſt Deus in nobis, ſunt & cõmercia cœli:*
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

De morte Tibul. Et rurſus:
Sunt etiam qui nos Numen habere putent.

1. Theb. Statius:
Pierius menti calor incidit.

1. de Rap. Proſer. Claudianus:

Iam

Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia phœbum.

Paſſim iſta poëtæ: quibus auctoritatem ſuis verſibus comparant, tanquam diuinitus exaratis. At hæ meræ ſunt fabulæ poëtis permiſſæ: philoſopho non item, quanquam refragante Marſilio Ficino. *In arg. ad Dial. de fur.*

Multò rectius Ariſtoteles hæc ad veritatis trutinam expendit. Hoc enim fieri docet atræ bilis exundante copia, & efferueſcente præter morem. Hic enim corporis humor terreus ac tenax, & ſuaptè natura frigidus, inſtar vini incaleſcere vehementer poteſt; (excitatus videlicet adiuncti humoris temperatione, præſertim flauæ bilis) quod cum accidit, vt aqua, cùm feruet calidior, & ferrum candens ardentius carbone eſt: ſic melancholia vehementer accenditur; qua inflammatus animus, celeres ad agendum motus, ac vires habet: inclinans verò ad poëſim carmina liberè effundit. ὅσοις δὲ λίαν πολλὴ, καὶ θερμὴ, μανικοὶ, καὶ εὐφυεῖς. *In quibus autem multa, & calida* melancholia, *ij furioſi, & ingenioſi*. quos eoſdem dixerat aptos poëticæ. tum pergit: πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου *Problem. sect. 30.*

τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς. *Multi autem, quòd prope mentis ſedem ille calor eſt, inſanis morbis capiuntur, vel enthuſiaſticis.* & poſt pauca: μάρακος δὲ συρακούσιος, καὶ ἀμείνων ἦν ποιητὴς, ὅτ' ἐκστάιη. *& Maracus Siracuſanus melior erat poëta cum extra ſe erat.* Quare, docente Ariſtotele, furor Poëticus quædam eſt interiorum facultatum, & animi inflammatio efferueſcente melancholia, qua ingenium ad poëticos cantus, numerosq. fundendos agitur, & commouetur. Neque hoc mirum, cùm phantaſiæ motiones intelligens facultas conſequatur. Atqui æſtuantis humoris atri in intimas phantaſiæ latebras irrumpente calore, mouentur, miſcenturq. quæ ibi cuſtodiuntur rerum imagines: neque tàm agitantur, quam noua velut ignis luce ſuffuſæ ſequentem animum concitant. Quod ſi nimius ſit motus, calidisq. vaporibus ipſe quoque in venis ſanguis intumeſcat, ac ferueat; poëta quodammodo agi in furorem videbitur. *Siue Platoni credimus*, ait Seneca, *fruſtra poëticas fores compos ſui pepulit: ſiue Ariſtoteli, nullum magnum ingenium ſine mixtura demen-*

De Tranquill. ani. cap. 15.

mentia fuit. Non poteſt grande aliquid, & ſupra cæteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria, & ſolita contempſit, inſtinctuq́ ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit altiùs ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam & in arduo poſitum contingere quandiu apud ſe eſt. Hinc in affectus omnes facillimè poëta deſcendit, ideoq́. optimus deſcriptor, ac repreſentator: *χειμαίνει* (ait Ariſtoteles) *ὁ χειμαζόμενος, καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα. Exagitat agitatus, & ad iram commouet ira commotus veriſſimè.* Quare plorabit, lamentabitur, eiulabit in cœna Atrei: lacrymabitur in Hectoris exequijs, ac nece Pallantis: indignatus execrabitur Oedipi ſcelus, Etheoclis, ac Polynicis certamen, Mezentij crudelitatem, immanitatem Capanei: gaudebit in Pelei nuptijs: vincet cum Achille: Troiam diruet, ac demum cum Atridis, & ſecum ipſe triumphabit. Hoc ſanè motu interiorum facultatum poëtarum optimi pangunt verſus, vt de quibuſdam accepimus:

Loco cit. poet.

Et plerumq́ ſuas non percepere Camœnas.

Quod ſi hoc inſanire dicimus, amabilis profectò eſt, vt aiebam, inſania.

ADDITAMENTVM.

VErba Platonis in Phædro de furore Poëtarum ſunt. τρίτη δὲ ἀπὸ μουσῶν κατοχή τε καὶ μανία *Tertia eſt afflatio à Muſis, & furor.* ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται πεισθεὶς, ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε, καὶ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων, ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. *Qui autem ſine furore Muſarum ad poëticas fores accedit, perſuaſus, bonum ſe poëtam ex arte futurum, & imperfectus ipſe, & poëſis, præ illa, quæ eſt furentium, quæ & prudentis eſt, euaneſcit.* Et totus dialogus, Io, hoc de furore conſcriptus eſt.

Propenſionem ad poëſim facile dignoſci. Cap. XXIII.

HIc ergo εὐφυὴς, μανικὸς, εὔπλαστος, ἐκστατικός. *Natura & ingenio valens, quodam furore afflatus, bene ad omnia conformatus indagator, ecſtaticus ac mente motus* ad ſapienter canendum, niſi naſcatur, nulla fit arte. Habentur enim hæc bona naturæ ex principum hu-

humorum temperatione, & bonitate interiorum facultatum. Neque verò qui ſic eſt affectus in arte perdiſcenda multum laborat, aut ingenium occultari poteſt. nam in cæteris artibus, ac diſciplinis percipiendis, quod fermè initia ſpinoſiora ſunt, multorum fatigantur ingenia; & vt olim Alexander Geometria initiatus, ſic illi dicentem rogant: *Faciliora me doce*. Quare nonnunquam ambigitur, an futurum ſit, vt in ea, quam perdiſcunt, doctrina excellant: qui poſtea multo labore ſubtiliſſimis ſe quæſtionibus expediunt. Hic verò ad poëſim natus, interdum feruidus, & incitatus, & nulla prope opera verſus effundens: interdum frigida melancholia ſuffuſus, tacitus, & ſubtriſtis, rebus tamen attentus ſupra ætatem arte præcellit, & ſe ſe omnibus detegit. nimia enim vis, & propenſio ingenij vehementer vrget. Hinc aliqui nemine docente vulgari lingua bonos verſus pangunt: aliqui præcurrunt in latinis præceptorem. Eadem de cauſa negat Plato quemquam poëtarum mediocrem fore, quod nullo artis beneficio poëta ſit: cùm tamen in alijs opificijs tanta ſit malorum artificum, bonorumque diſſimilitudo. Quod idem

Sen. ep. 91.

In Dial. de fur.

Horatius ab illo expreſſum cecinit:

——— Mediocribus eſſe poëtis
Non Dij, non homines, nõ conceſſere colũna.

quibus venales libri affigebantur.

ADDITAMENTVM.

NOn pauci tamen iniquum de ſe ipſis iudicium ferunt, qui ſe abſurdos, & ineptos pronunciant ad poëſim, quod paucos verſus magno cum labore extundant; arbitrantes facilius carmina fluere è calamis aliorum, quam olim aqua fluxerit è monte Muſarum. Ideoq. nec tentare initia, nec periclitari naturam, nec primis labris Parnaſſi fontem libare volunt. Hi ſæpè falluntur magno ingenij detrimento. Quamuis enim natura procliuis in poëſim ſpontè ſe aperiat; rarò tamen ſine arte, & eorum cognitione, quibus conſtat poëſis. Vera enim Horatij vox eſt:

In Poet.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine diuite vena
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Quare, vt feratur de poëtico ingenio iudicium, obſeruetur, quod in futuro Oratore

tore ſeruandum præcipit Tullius: quamquam in poëſi aliquid amplius eſt naturæ tribuendum. *Sit mihi*, inquit, *tinctus litteris, audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit: tentabo quid deceat, quid voce, quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſit. Si intelligam poſſe ad ſummos peruenire, non ſolum hortabor, vt elaboret, ſed etiam obſecrabo. Sin videbitur, cum omnia ſumma fecerit, tamen ad mediocres*, (quod non tribuunt poëtis) *eſſe venturus: permittam ipſi, quid velit; moleſtus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit, & erit abſurdus: vt ſe contineat, aut ad aliud ſtudium transferat, admonebo*. Hoc præcepto arguitur rudis iſtorum imperitia, qui poëticam indolem ſine vllo experimento detegi volunt. Hæc enim, vt rude in fodinis metallum, niſi leuiter expoliatur, latet, & lucere non poteſt. Atque vt ſolis orientis radij erumpere non poſſunt, niſi nubes offuſæ rareſcant: ſic non emergere lumen ingenij, niſi rerum ignorantiam lectione, cognitione, & exercitatione aliquo modo depellat. Præcedat igitur lectio, teneatur ſtyli forma, exerceaturque: tũ demum ſiue præceptor, ſiue alius vir ſapiens rectum de vnoquoque 2. de Or.

que

que iudicium feret. Sic æqua præſentium æſtimatione olim Themiſtocli puero magiſter dixit: οὐδὲν ἔσῃ παῖ σὺ μικρὸν, ἀλλὰ μέγα πάντως ἀγαθὸν, ἢ κακόν. *Nihil paruum eris tu puer, ſed magnum omninò bonum, aut malum.* Quod ad omnes, qui de poëſi cogitant, iure transferrem.

Plut. in vita Them.

Docentis præceptio. Cap. XXIV.

Aliud inſtitutioni neceſſarium μάθησις erat. Hæc autem quamuis & profectum, cognitionemq. diſcentis ſignificet; nunc tamen pro docentis tradita doctrina, & præceptione ſit. Ab aliquo incultum ingenium ſapienter excolatur. *Huius enim ductu veniet, quo ſine duce peruenire non poſſet. Et ſemper eſt aliquis cuius ſe ſimiles plerique eſſe volunt. Ergo hoc ſit primum in præceptis, vt demonſtremus quem imitetur: atque ita, vt quæ maximè excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentiſſimè perſequatur: tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ità exprimat, non vt multos imitatores ſæpè cognoui, qui aut ea, quæ facilia ſunt, aut etiam illa,*

Cic. 2. de Or.

quæ inſignia, ac penè vitioſa conſectentur imitando. Inſtitutorem verò *prudentem, & non ignarum docendi eſſe oportebit, ſubmittentem ſe ad menſuram diſcentis, vt velociſsimus quiſque, ſi forte iter cum paruulo faciat, det manum, & gradum ſuum minuat, nec procedat vltra quam comes poſsit.* Quint. lib. 2. c. 3. Magni quidem negotij eſt poëſis inſtitutio. Hæc enim non modo multiplici conſtat ſtylo, ſed habet quamplurima, & inter ſe diſcrepantia poëmata, quæ non omnium ingenijs reſpondent, ſed alius aliud amplectitur. Debet autem inſtitutor diligenter aduertere, quò cuiuſque diſcentis ferat natura; in tragicamne granditatem, an maieſtatem heroicam, an humilitatem Comicam, an Lyricamvel ſuauitatem, vel tumorem? Ingenij in vnum potius, quàm alterum poëma inclinantis duo ſigna ſunt: alterum, facilitas; & delectatio ſcribendi. Alterum, carminis quidam quaſi naturalis candor, & bonitas. Quæ enim facimus iuuante natura, ea faciliora nobis, & iucundiora, & in ſe ipſis politiora ſunt quam cætera, quæ obluctante ingenio quaſi per vim extundimus. rectè enim Pindarus τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν: *quod à natura eſt omne opti-* Ol. od. 19.

optimum. Æquali verò animæ impetu ferri ad omnia, atque inter ſe diſſimilia poëmata tam rarum eſt, quàm admirandum. Et multi improuidè amplectuntur, à quibus magis abhorret ingenium. vt monendi, quemadmodum ille, ſint:

Prop. lib. 3. eleg. 3.

Quid tibi cum tali demens eſt flumine? quis te
Carminis Heroi tangere iuſſit opus?
Non hic vlla tibi ſperanda eſt fama, Properti;
Mollia ſunt paruis, prata terenda rotis.

Nec ſolum poëmatis genus, ſed etiam cætera præſcribet inſtitutor, quæ neceſſario ad bene ſcribendum exiguntur.

De Auditione. Cap. XXV.

NOn leuis momenti ad profectum auditio eſt, ſiue inſtitutorem, ſiue alium quempiam è laudatis ſcriptoribus dicentem audias. *Excitat enim qui dicit ſpiritu ipſo, nec imagine, & ambitu rerum, ſed rebus incendit. Viuunt enim omnia, & mouentur, excipimuſq; noua illa velut naſcentia cum fauore, ac ſollicitudine. Nec fortuna modo iudicij, ſed etiam ipſorum, qui orant periculo afficimur. Præ-*

Quint. lib. 10. c. 1.

ter hac, vox, & actio decora: commoda, vt quiſque locus poſtulabit, pronunciandi vel potentiſſima in dicendo ratio, & vt ſemel dicam pariter omnia decent.

ADDITAMENTVM.

HInc frequentes olim conuentus ad audiendos Poëtas, Auguſtis etiam in Athenæum, vbi publicè recitabatur, aduenientibus: vt de † Claudio, * Pertinace, † Alexandro proditum eſt. Nam de alijs ciuibus legimus: † *Plin. lib. 1. ep. 13.* * *Capitol. in vit.* † *Lāprid. in vit.*

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam cum fecit Statius vrbē,
Promiſitq; diem; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaq; libidine vulgi
Auditur. *Iuuen. ſat. 7.*

Magnoq. prouentu poëtarum integri mēſes lectionibus perſonabant, vt frequenter ſolidos dies poëta recitando conſumeret: *Mart. lib. 10.*

Semper & aſsiduo rupta lectore columnæ, *Iuuen ſat. 1.*

Porrò ipſi recitantes, vt maiorem inirent beneuolentiam, & gratiam, inſigni cultu, auro, gemmiſq. illuſtres verba faciebant. Tum magni clamores, plauſuſq laudantium, & optimis propoſita Principum præ-

præmia vehementer excitabãt ad poëſim.
Multo magis auditi Oratores in iudicijs, in quibus maior ardebat actio, iuuenes inflammabant. Hoc certè Demoſthenem eloquentiæ principem Athenis fecit. Plutar. in vita. Puer enim cũ audiſſet Calliſtratum in foro cauſam agentem illius æmulatus eſt gloriã, & eloquentiã maiori laude eſt aſſequutus.

De Lectione. Cap. XXVI.

IN lectione tria conſiderantur, vtilitas lectionis: qui auctores legendi: & modus lectionis. Vtilitatem nemo non nouit. 3. de Orat. *Omnis loquendi elegantia*, inquit Cicero, *quanquam expolitur ſcientia litterarum; tamen augetur legendis Oratoribus, & poëtis.* 2. de Or. Quod alibi egregia ſimilitudine ſic exornat: *cùm in ſole ambulem, etiam ſi aliam ob cauſam ambulem, fieri tamen natura, vt colorer: ſic cum iſtos libros ſtudioſiùs legerim, ſentio orationem meam, illorum cantu colorari.* Ep. 108. Et Seneca: *Qui in ſolem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur. Qui in unguentaria taberna reſederunt, & paulò diutius commorati ſunt; odorem ſecum loci ferunt. Et qui* ſcriptorem legerunt,

traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus. Alit enim lectio ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen reficit. Ser. ep. 84 Itaque idem ille nobilis iam ſcriptor, ideò ſe lectionibus operam dare dicebat: *Primùm ne ſim me uno contentus: deinde vt cum ab alijs quæſita cognouero, tum & de inuentis iudicem, & cogitem de inueniendis.* Quæ ſanè vtilitas magna eſt. aliena enim æſtimando, minus aberramus in noſtris, & ad noua excogitanda vberiores euadimus. Demum *ad eloquutionem nobis copia cum iudicio paranda eſt. Id autem conſequemur optima legendo, atque audiendo. Non ſolum enim nomina ipſa cognoſcemus hac cura, ſed cui quodque loco ſit aptiſsimum. Omnibus enim ferè verbis in oratione locus eſt. Hæc vt ſciamus, atque eorum non ſignificationem modò, ſed formas etiam, menſuraſq; norimus, niſi multa lectione, atque auditione aſſequi non poſſumus* Quint. lib. 10. c. 1. Hoc quidem in poëſi tanto eſt difficilius, quanto eius eloquutio à vulgari remotior eſt. Quare vernacula lingua fortaſſe aliquis ſolutam orationem ſine lectione non ineptè ſcripſerit: ſed minimè poëſim, cuius phraſim non docent nutrices. Itaque ſi libri

Gell. lib. 14. c. 2. omnes veteri prouerbio, *muti magiſtri ſunt*, aliquid amplius habent libri poëtarum, à quibus & loqui diſcimus.

Qui ſcriptores legendi.
Cap. XXVII.

1. de Orat. DE auctoribus legendis varia auctoritas eſt. Cicero cum oratorem informaret: *Exercenda eſt*, inquit, *etiam memoria ediſcendis ad verbum quamplurimis, & noſtris ſcriptis, & alienis: legendi etiam poëtæ: cognoſcenda hiſtoria, omnium bonarum artium ſcriptores, & dictatores legendi, & peruolutandi. Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas.* Aliter Quin-
Lib. 9. c. 1 tilianus: *Ac diu nonniſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, le-*
Epiſt. 2. *gendus eſt.* At Seneca: *Vide*, inquit, *nè iſta lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagũ, & inſtabile. Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quan-*

Google

quantum legas. Sed modò, inquis, hunc librum euoluere volo, modò illum. Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ vbi varia ſunt, & diuerſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege. Et ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi. Quod & Plinius docet: *Memineris ſui cuiuſque generis auctores diligenter eligere, aiunt enim, multum legendum eſſe, non multa*. Indifferenter Horatius his, quos in poëſi inſtituebat, *Lib. 7. ep. 9.* *In ar. p.*

——— *Vos exemplaria Græca*
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Idem * Claudianus, idem † Auſonius præcipiunt. ** De Conſ H.* *† In p. teptico a. Nepot.*

Ne tanti auctores inter ſe diſcrepent, aio aliud eſſe, legere ad expoliendum ſtylum: aliud ad res inueniendas, & cognoſcendas. Pro rerum materia omnes: pro ſtylo pauci legendi ſunt. Et aliquis optimus cæteris præferendus in ea dictionis forma, quam profitemur. Poëta quidem quid ſcire non debet? res naturales, hiſtoricas, morales, politicas, œconomicas, omnia denique humanorum propria officiorum, populorum, locorum, vrbium, quæ vniuerſe ac generatim exprimit in perſonis, aut alio modo exponit. Hoc quàm va-

riam, & multiplicem cognitionem lectionemq. requirat, nemo non videt.

At ſtylum pauci ex poëtis, quos habemus, alunt, & hi, vt loquar cum Plinio, *Qui ſint adeò notum, prouocatumq; eſt, vt demonſtratione non egeat*. Neque verò de his facilè iudicauerim. Nam quo quiſque imperitior, plerunque procliuior eſt ad iudicandum. *Modeſtè*, inquit Quintilianus, *& circumſcripto iudicio de tantis viris pronunciandum eſt, ne (quod pleriſque accidit) damnent, quæ non intelligunt. Ac ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa diſplicere maluerim*. *Veneror*, ait Seneca, *inuenta ſapientiæ, inuentoresq; adire tanquam multorum hæreditatem iuuat. Mihi iſta acquiſita, mihi elaborata ſunt. Multum egerunt qui ante nos fuerunt; ſed non peregerunt. Suſpiciendi tamen ſunt, & ritu Deorum colendi. Quid ni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Ego verò illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo*. Quid ille iam arguentibus criticis, & correctoribus diceret?

† *Lib. 7. ep. 9.*

Lib. 10. cap. 1.

Ep. 64.

diceret? Et Fabius quidem de Græcis, & Latinis poëtis iudicium tulit, præcepitq. inchoandum ab Homero, quem etiam primo loco Auſonius nominauit: tum alios euoluendos, quorum videlicet primus ſit oportet Virgilius è Latinis. Sed in vniuerſum hæc legendi lex eſto, vt qui inſtituitur, optimos primò, & aureæ ætatis poëtas perlegat, Virgilium, Ouidium, Tibullum, Propertium, Horatium: deinde robuſto iam, & adulto ſtylo cæteros omnes, qui conſequentibus ætatibus, floruerunt. Habet enim vnuſquiſque ſuos flores, & lumina, quæ ſcribenti ſubminiſtrat. Neque erit inutile, cum euoluitur Virgilius, aut Ouidius, aliquid ex audacioribus, & tumidioribus Statio, Lucano, Seneca, Claudiano prælibare. Nulla enim alia re magis laborant adoleſcentes quàm humilitate dictionis, quæ figuratis illorum loquutionibus fit grandior. Sic adeò, vt monebat Seneca, *probatos leget, & poſtquam ad alios diuerterit, ad priores redibit*. Abſtinendum tamen ab impuris carminibus Apum more, quæ mortuis ne floribus quidem, nedum corporibus inſident. Et mel veneno illitum dulce non eſt. Iam vero Itali, aliarumq. lin- *Plin. lib. 11. c. 8.*

linguarum Poëtæ eodem ordine legendi: vt primò ſimpliciores, candidioresq. tum audaciores legantur; & quanto quiſque legendi auidior, tanto fit cultior, & politior. Quod ſi Theophraſtus, & Cicero, & Quintilianus docent, Oratori plurimum conferre lectionem poëtarum: quid nam agere debeat, qui vnam nititur ad poëſim?

Legendi modus. Cap. XXVIII.

Quint. lib. 10. c. 1. *Lectio libera eſt, neque actionis impetu tranſcurrit: ſed repetere ſæpius licet, ſiue dubites, ſiue memoriæ penitus*
Sen. epiſt. 108. *affigere velis. Itaque non paſſim carpenda ſunt, nec auidè inuadenda vniuerſa. Per partes peruenitur ad totum. Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quam cui ſufficere poſſumus. Non quantumuis, ſed quantum capis hauriendum eſt. Bonum tamen habe animum; capies quantum voles. Quò plus recipit animus, hoc ſe magis laxat. Non proficiunt, qui omnia curſim, & properanter tranſ-*
Id. ep. 2. *mittunt. Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quam remedio-*

mediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non coaleſcit plãta, quæ ſæpè transfertur: nihil tàm vtile eſt, quod in tranſitu proſit. Vt igitur lectio ſit vtilis, & diſcentem iuuet, tria continеat neceſſe eſt: *Rerum intellectum, Animaduerſionem, Adnotationem.* Perficitur *intellectus rerum* percepto verborum ſenſu, vt omnia, quæ ſcribuntur intelligantur: vis item, quæ verbis ineſt, propria ne, an tranſlata: ad extenuandum idonea, an augendum: inſit ne verbis ſententia, an figura, an argutia, & ſimilia. Tria verò iuuant ad intelligendum *Ordo legendi*; vt ab exordio, quomodo eſt ſcriptus, euoluatur liber, neque inchoetur à medio, neque interciſa lectione media omittantur. *Mora:* vt lector non impetu tranſcurrat, paſſimq. carpat, vel auidè vniuerſa inuadat, ſed hauriat, quãtum capit. *Repetitio*; nam *perlectus liber vtique ex integro reſumendus, cuius virtutes frequenter ex induſtria quoque occultantur. Igitur repetamus, & tractemus, & vt cibos manſos, ac propè liquefactos demittimus, quò facilius digerantur: ita lectio non cruda, ſed multa ite-* Quint. l. 1. Id. ibid.

ratione mollita, & velut confecta memoriæ, imitationiq; tradatur. Sed hæc poſtrema *Animaduerſionem* continent, quã deinde in vtili lectione collocabam. Conſiderare igitur oportet tam res, quã verba: vtrumque enim imitationi ſubijcitur, & diſquirere diligenter quo illa tranſferri, & applicari queant. *Cum ab alijs*,
Ep.84. inquit Seneca, *quæſita cognouero, tum & de inuentis iudicem, & cogitem de inueniendis*. Sic præcepta poëticæ, vel oratoriæ, quæ quiſque auctor in ſuo exprimit opere, dignoſcimus: quæque ſint optima poëmatum initia, progreſſiones, digreſſiones, clauſulæ, ſententiæ, periphraſes, affectus, mores: demum quid in re ſimili tentari poſſit, inſpicimus. Nec verba ſua obſeruatione, & applicatione careant, & inuentæ loquendi formulæ ad alia, cogitatione traducantur. Hoc forraſſe placuit Quintiliano, dicenti: *Legendus eſt liber diligenter, ac penè ad ſcribendi ſollicitudinem*. Sequitur *Adnota-*
Ep.84. *tio*. Seneca: *Debemus*, inquit, *quæcunque ex diuerſa lectione congeſſimus, ſeparare; melius enim diſtincta ſeruantur: & apes imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt: deinde*

inde quidquid attulere, diſponunt, ac per fauos digerunt. Debent ergo libelli ad manus eſſe, quò res, & verba ſeponantur, diſponanturq. certo cũ ordine, vt reuoluenti ſtatim occurrant. Breuis demum legendi lex eſto. *Liber ſtylo vtilis, ter legatur.* Primò cognoſcendæ res, notandæq. illuſtriores. Deinde verba, & loquutiones expendendæ, & in aduerſaria, memoriæq. codices ſeponendæ. Tertiò ex integro omnia reſumenda, & ſine vlla adnotatione euoluenda. Sic noſtra faciemus, quæ aliena fuerant, nec ſolum *ibunt in memoriam, ſed etiam in ingenium,* quod Seneca peroptabat. *Ep. 84.*

Ratio ſcribendi, & eius vtilitas. *Cap. XXIX.*

N*Ec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus,* Seneca præcipit. *Altera res contriſtabit, & vires exhauriet: de ſtylo dico: altera ſoluet, ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum, vt quidquid lectione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus.* *Ep. 84.* *Eſt enim,* quod ait Cicero, *optimus, & praſtantiſsimus dicendi effector, & magiſter;* *1. de Or.* *Id. de Clar. Orat.*

giſter ; & nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum ſcriptio. ſcribendum ergo quàm diligentiſsimè, & quam plurimum. Nam vt terra altè defoſſa generandis, alendiſq́ ſeminibus fœcundior eſt; ſic profectus non à ſummo petitus ſtudiorũ fructus effundit vberiùs, & fideliùs cõtinet.

Quint. lib. 1. c. 3.

Iam quod pertinet ad vtilitatem ſcribendi: Primò iuuenilis quædam fœcunditas, & luxuries, quæ ineſt in oratione, ſtylo depaſcitur. Secundò omnes ſiue artis loci, ſiue ingenij cuiuſdam, atque prudentiæ, qui modo inſunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirẽtibus nobis, omniq. acie ingenij contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt. Tertiò omnes ſententiæ, verbaq. omnia, quæ ſunt cuiuſque generis maximè illuſtria, ſub acumen ſtyli ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt. Quartò collocatio, conformatioq. verborum perficitur in ſcribendo & poëtico, & oratorio numero, & modo. Quintò qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt etiam ſubitò ſi dicat, tamen illa, quæ dicuntur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur. Hæc paucis mutatis Cicero. Summa hæc eſt: Scribendo fit, vt bene ſcribatur.

Cic. 2. de Or.

Quid

Quid ſit ſcribendum. *Cap. XXX.*

SEd quid poëſim addiſcenti ſcribendum? Quod æquet ingenij vires, non obruat. Horatius: *In Arte.*

Sumite materiã veſtris qui ſcribitis, aquã
Viribus, & verſate diù quid ferre recuſent,
Auid valeant humeri, cui lecta potenter
erit res,
Nec facũdia deſeret hũc, nec lucidus ordo.

Qua de re egregia fuit vox Iulij Flori ad ingenioſum Iuuenem de ſcribendo ſollicitum, *Nunquid tu melius dicere vis, quàm potes? Ita ſe res habet*, pergit Quintilianus, *curandum eſt; vt quàm optimè dicamus, dicendum tamen pro facultate.* *Lib. 10. c. 3.* Qui enim conatur ſupra captum ſcribere, nihil ſcribet. Hoc conſtituto, varia ſunt, in quibus exerceri quiſque poteſt. Primò *paraphraſis*, ideſt eorum, quæ Græcè, Latinè, Italicè, aut alio ſermone ſcripta ſunt, in eundem conuerſio. Hæc non probatur Ciceroni, ſiue Craſſo apud illum. *1. de Orat.* *Mihi*, inquit, *adoleſcentulus proponere ſolebã illã exercitationem maximè, vt aut verſibus propoſitis quàm maximè grauibus, aut*

ora-

oratione aliqua lecta ad eum finem quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam], quam legiſſem, verbis alijs quàm maximè poſſem lectis pronunciarem. ſed poſt animaduerti hoc eſſe in hoc vitij, quod ea verba, quæ maximè cuiuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſſima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad eius verſus me exercerem: aut Gracchus, ſi eius orationem mihi propoſuiſſem. Ita ſi ijſdem verbis uterer, nihil prodeſſe: ſi alijs etiam obeſſe, cum minus idoneis vti conſueſcerem. Probatur tamen Quintiliano, ſi non ſit ieiuna interpretatio, ſed circa eoſdem ſenſus certamen, atque æmulatio. *Ideoq́;*, inquit, *ab illis diſſentio, qui vertere orationes latinas vetant, quia optimis occupatis quidquid aliter dixerimus neceſſe ſit eſſe deterius. Nam neque ſemper eſt deſperandum, aliquid illis, quæ dicta ſunt, melius poſſe reperiri*. Placet etiam Plinio, *Nihil*, inquit, *obfuerit, quæ legeris hactenus, vt rem argumentumq́; teneas, quaſi æmulum ſcribere, lectisq́; conferre], ac ſedulo penſitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, ſi nonnulla: tum magnus pudor, ſi cuncta ille melius. Licebit interdum, & notiſsima eligere, & certare*

Lib.10. c. 5.

Lib.7. ep. 9.

tare

tare cum electis. Audax hæc, non tamen improba, quia ſecreta contentio. Quanquam multos videmus eiuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumpſiſſe, quoſque ſubſequi ſatis habebant, dum non deſperant, anteceſſiſſe. Ego (ſi licet inter tantos ſuam vocem interponere) dixerim cum Cicerone hanc exercitationẽ non conducere proficientibus (quis enim tyro audeat contendere cum Virgilio, vel Horatio?) ſed bonis & iam laudatis ſcriptoribus. Illos enim auocat deſperatio, & propriæ imbecillitatis conſcientia: hos incitat æmulatio, & gloria,

Secundò præcipitur, *vel ex græco in latinum, vel ex latino vertere in græcum* (adde in patrium ſermonem) *Quo genere,* Plin. ep.9. lib.7. *exercitationis proprietas, ſplendorq; verborum, copia figurarum, vis explicandi: demum imitatione optimorum, ſimilia inueniendi facultas paratur. ſimul quæ legentem feſelliſſent transferentem fugere non poſſunt. Intelligentia ex hoc, & iudicium acquiritur*. Addit Cicero, *cum ea, quæ legerem græcè, latinè redderem, hoc aſſequebar, vt non ſolum optimis verbis vterer, & tamen vſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando,*

quæ

quæ noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea. Itaque libros Platonis, atque Xenophontis edidit, hoc genere tranſlatos. Carmine autem cum ipſis poëtis interdum colludere oratorem, tam Plinius, quàm Fabius præcipit. Quid poëtam facere præciperent?

Quint lib. 10. c. 5.

Proderit tertiò *ſe~tẽtias* ex induſtria aſſumere, easq. carmine copiosè verſare: velut cadẽ cera aliæ, atque aliæ formæ duci ſolent. ſemper enim in adoleſcente copia laudatur, vnde aliquid amputari poſſit.

Quartò, *Deſcriptionem* alicuius loci, perſonæ, actionis, rei ſtudioſius concinnare. Nihil enim poëſi familiarius, quàm euidentia, & illuſtris explanatio; & qui ab hac deficit, mihi ab arte videtur deficere.

Quinto, *Affectum* quempiam iræ, odij, miſericordiæ aſſumere, eumq. ſuis lineare partibus, & colorare. *Mores* item iuuenis, ſenis, auari, ruſtici, militis, aliorum diligentius exprimere. Sunt enim hæ vmbratiles quodammodo proluſiones ad maiorem ſcribendi contentionem.

Sextò *in omni poëmatum genere* ſe exercere: nunc heroico carmine, nunc elego, nunc lyrico, interdum & tragico,

eo

eo tamen propenſius, quò nos vocat ingenium: neque àbſtinere ab epigrammate arguto & breui. Eſt enim labori, & ſatietati varietate occurrendum, ac demum in eo quieſcendum, quod natura, & facilitas nobis ſuadet promptius & iucundius.

Modus ſcribendi. Cap. XXXI.

SVpereſt vltimò ſcribendi modus. Et primò *ſit vel tardus, dum diligens ſtylus: quæramus optima, nec protinus ſe offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inuentis, diſpoſitio probatis. hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quàm optimè ſcribamus, celeritatem dabit conſuetudo. Paulatim res faciliùs ſe oſtendent, verba reſpondebunt, compoſitio ſequetur. ſumma hæc eſt rei. Citò ſcribendo non fit, vt bene ſcribatur: benè ſcribendo fit, vt citò.* Non enim ſero fit, quod bene fit. Et grauiùs quidàm excuſando ſe accuſant, qui verſus non ſcripſiſſe, ſed effudiſſe prædicant; damnato enim operandi modo, damnatur & opus. Scribenti quidem ad æternitatem quodlibet tempus, & ſi diuturnum breue eſt. Carmen

Quint. lib. 10. c. 5.

timum eſt in verbis, dictionibus, figuris, primò tanquam obtutû videatur: quod conſideranti, & diligentius retractanti, tandem occurrit.

Prætereà duplex eſt ordo ſcribendi, & vter alteri præſtet, ambigitur. Prior, cùm efferueſcente ingenio quidquid in mentem inciderit, currente calamo, & vno impetu emittitur. Quo modo cum integris trunca, & mutilata carmina pâgimus; quæ deinde, cùm calor ille reſederit, ſuis figurantur paulatim numeris, & partibus. Sic Virgilium ſcripſiſſe tradit Gellius, cùm diceret parere ſe verſus vrſino more: recentes enim partus ſuos informes eſſe & imperfectos: poſtea tractando, colendoq. reddere ſe ijs oris, & vultus lineamenta. Poſterior non ſinit nos aggredi ſequentia, niſi quæ præcedunt perfecta ſint; ita vt ex perfecto ad perficiendum alterum veniatur. Vterque modus tardus, & moroſus eſt, nec damnandus, varijsq ſcriptorum conditionibus accommodatus Quidam enim celerrimi ingenio inſtar ignis omnia ſtatim comprehendunt. Hi debent confeſtim parere quod conceperunt; nam temporis mora celeres illos ſenſus extinguit. Alij tardiores, & quietiores, qui

Lib. 17. c. 10.

Quint lib. 10. c. 3.

vix

vix ad ſequentia tranſire poſſunt, niſi in his, quæ perfectè elaborarunt, tanquam in ſtabili ſolo pedem figant. Hi abſint à celeritate.

Scriptorum recognitio, & iudicium. Cap. XXXII.

Lib. 7. ep. 9. IAm omnibus ad finem perductis, eadem de integro cognoſcenda, & ad vltimam limam reuocanda ſunt. Plinius: *Poteris & quæ dixeris poſt obliuionem retractare, multa detinere, plura tranſire, alia tranſcribere, alia reſcribere. Laborioſum iſtud, & tædio plenum; ſed difficultate ipſa fructuoſum, recaleſcere ex integro, & reſumere impetum fractum, omiſſumq́ue. Poſtremo noua velut membra peracto corpori intexere, nec tamen priora turbare.* In quo peccari dupliciter poteſt: ſi parua, ſi nimia correctio ſit. Parua eſſet; ſi, cum tota operis facies ante oculos ponitur, non aptius verba, ſententiæq́. collocentur, attollantur humilia, tumida deprimantur, & omnia, alijs additis, alijs ſublatis meliorem in formam traducta, nouis luminibus, & inſignibus diſtinguantur. Quod melius fit, ſi in aliud tem-

tempus eiuſmodi correctio differatur: atque ex Horatij præcepto, *Nonum prematur in annum*. tunc enim quaſi ad aliena redimus. *Quint. lib. 10. c. 4.*

Hor. in Ar.

Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Præſectum decies nõ caſtigauit ad vnguẽ.

Tanto ſtudio Cicero ſua correxit: qui de Commentario Conſulatus ſui, *Quem tibi,* inquit, *ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lentè, ac faſtidiosè probauiſſem.* *Ad Ati. lib. 2. ep. 1.*

Nimia correctio vitio & ipſa eſt, nec minus periculoſo. deterret enim quamplurimos à ſcribendo, qui volunt melius ſcribere quam poſſunt, & omnia aliter dicere, quàm venit in mentem. *Sit igitur aliquando quod placeat, aut certè quod ſufficiat, vt eius opus poliat lima, non exterat.* *Quint. lib. 10. c. 4.* Seneca: *Nimis anxium eſſe te circa verba, & compoſitionem nolo. Habeo maiora quæ cures. Quare quid ſcribas, non quemadmodum: & hoc ipſum non vt ſcribas, ſed vt ſentias. Cuiuſcunque orationem videris ſollicitam, & politam ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur, & ſecurius. quæcunque dicit plus habent fi-* *Ep. 15.*

 ducia

ducia quàm cura. Oratio vultus animi eſt: ſi circuntonſa eſt, & fucata, & manufacta, oſtendit illum quoque non eſſe ſincerum Et neſcio an aliquis forte nimiam Plinij ad faſtidium vſque ſua corrigentis diligentiam iudicet. De ſe enim ſcribit: *Nullum emendandi genus omitto. Ac primum quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto. Deinde duobus, aut tribus lego, mox alijs trado adnotanda, notasq; eorum ſi dubito, cum vno rurſus, aut altero penſito: nouiſſimè pluribus recito. Ac ſi quid mihi credis, tunc acerrimè emendo. Nam tanto diligentius, quanto ſollicitius intendo. Optimè autem reuerentia, pudor, metus indicant.* Sed cauſa quam adducit, ſic agendum eſſe oſtendit. *Cogito*, inquit, *quam ſit magnum dare aliquid in manus hominum, nec mihi perſuadere poſſum, nō & cum multis, & ſapè tractandum quod placere & ſemper, & omnibus cupias.* Accedat priſcis Politianus: *Qui ſcribendi*, inquit, *onus ſuſceperint, ne quid vnquam de intentione remittāt: penſent, exiganta; ſingula, nihil non excutiant, non caſtigent etiam, atque etiam, ac ſub incudem ſæpius reuocent. Conſulantq; interim vel minus eruditos; quod in alienis*

Lib. 7. ep. 27.

Ibidem.

Lib. 1. Miſcel. c. 90.

er.

erratis lyncei ſimus, in noſtris lippi, cæciq́ue: ac non videamus, vt Catullus ait, manticæ quod in tergo eſt. Hoc multo ante præcepit Horatius.

——— Si quid tamen olim
Scripſeris, in Meci deſcẽdat Iudicis aures,
Et patris, & noſtras. Neque immeritò: nã
Vir bonus, & prudens verſus reprehendet inertes:
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Trãſuerſo calamo ſignũ: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucẽ dare coget:
Arguet ambigue dictum: mutãda notabit.
vt ille Quintilius, qui, *——Corrige ſodes.*
Hoc aiebat, & hoc. melius te poſſe negares,
Bis, terq́ue expertum fruſtra; delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.

Hæc poſtrema eſt ad rectè ſcribẽdum, aliorum animaduerſio. Cenſores tamen monendi ſunt, ne ad ſui normam ſtyli cũcta redigant, ignotumq. characterem ab alienis paginis exigant.

De Imitatione. Cap. XXXIII.

VErum accedat quoque imitatio neceſſe eſt. Quanquam enim vtile ſit ſuam cuique ſequi naturam: hæc tamen

niſi alieno exemplo, ductuq. regitur, errat facile, atque offendit. Hominũ enim, & ingeniorum apices illi fuere, qui ſine Doctore doctrinas aſſequuti ſunt; reliqui
Quint. lib. 10. c. 2. addiſcant, quæ illi docuere. *Neceſſe eſt autem ſimiles, aut diſſimiles bonis ſimus. ſimilem rarò natura præſtat, frequenter*
Cic. 2. de Or. *imitatio. Itaque hoc ſit primum in præceptis ut demonſtremus, quem* doctrinæ ſtudioſus *imitetur, atque ità, ut quæ maximè excellant in eo diligentiſſimè perſequatur: Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit imitando effingat.*

Quid, & quotuplex ſit imitatio. Cap. XXXIV.

Ex allato Ciceronis loco ſic aliquis imitationem definire poſſet. *Imitatio eſt, qua quæ maximè excellunt in aliquo, exercitatione effingimus.* Auctor ad
Lib. 1. Herenn. *Imitatio eſt, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in*
Lib. 10. c. 2. *dicendo velimus eſſe.* Ex mente Quintiliani: *Imitatio eſt mentis quædam directio ad earum virtutum exemplar, quas in excellenti aliquo auctore ſuſpicimus.*

Tul-

Tulliana definitio magis placet, quod magis vim imitandi exercitatione conſtantem explicat. Ex his vero conſtat imitationem debere eſſe rerum optimarum: neque enim apud auctores omnia plane optima, & aurea ſunt. Et multi frequenter pro virtutibus vitia comprehendunt; vt ibidem Cicero, & Quintilianus admonent, fiuntq. *pro grandibus tumidi, preſſis exiles, fortibus temerarij, latis corrupti, compoſitis exultantes, ſimplicibus negligẽtes* Quod ſi contentio ſit de virtutibus, & imitari potiora ſtudeamus; nihilominus non virtutes, ſed virtutum proxima attingimus; quia docente Seneca, *nunquam par ſit imitator auctori. Hac natura eſt rei: ſemper citra veritatem, & minor eſt ſimilitudo. Et eum nemo poteſt æquare, cuius veſtigijs ſibi vtique inſiſtendum putat; neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur.* Sed niſi primas teneamus, laudabile erit imitando in ſecundis, tertijsq. conſiſtere.

Lib. 10. c. 2.

In proœmio controuer.

Quint. lib. 1.

Iam verò imitatio eſt duplex, alia rerum, alia verborum. Imitatio verborum ipſa ſe indicat. Altera inuentionem, diſpoſitionemq. complectitur, quæ in opere poëtico propria quadam ratione ſer-

uantur: item affectus, mores, ſententias, modum inchoandi, digrediendi, concludendi, & alia huiuſmodi. Vtraque imitatio ingenium mirificè alit, ac perficit.

Quædam ad bene imitandum obſeruanda. Cap. XXXV.

PRimum eſt: Vt imitandi ſtudium naturam ne peruertat, neque ea, quod peſſimum eſt deſeratur: *Aequius eſt enim nos naturæ, quàm nobis parere naturam.* Cicero: *Studia noſtra naturæ regula metiamur. neque enim naturæ attinet repugnare, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas.* Itaque ſi quis fertur in lyricos, non æmuletur heroicos: ſi in elegos, non agat tragicum. nam fruſtra ſupra vocem canet.

Sen. ep. 94

1. de Offic.

Secundum: Ne ſtudio imitandi vſque eò ducamur, vt noſtra repudiemus, & omnia ex alterius ore loqui velimus. eſt enim intoleranda ſeruitus, totum ſe ſe ad alienum tanquam domini nutum, & formam, componere: ex ſe nihil excogitare, vel promere: antiqua ſemper adorare. Hi audiant ab Horatio:

Lib. 1. epiſtol. ep. 9.

—— *O imitatores ſeruum pecus.*

Tu

Tu verò quiſquis ex hoc grege, rapto viuis, caue,

——Ne deſilias imitator in arctum, Id. in Ar.
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operit lex.

Nam vt bene currere non poteſt, qui pedem ponere ſtudet in alienis tantùm veſtigijs: ita nec benè ſcribere, qui tanquam de praſcripto non audet egredi. Ang. Polit. lib. 8. ep. 16.

Tertium. Non vnus auctor ſit nobis propoſitus ad imitandum, ſed plures. Seneca: *Quia*, inquit; *quo plura exempla inſpecta ſunt, plus eloquentia proficitur. Non eſt vnus, quanuis pracipuus ſit, imitandus, quia nunquam par ſit imitator auctori.* In proëm. Contr. Quintilianus: *Ne hoc quidem ſuaſerim vni ſe alicui propriè, quem per omnia ſequatur, addicere, nec qui maximè imitandus, etiam ſolus imitandus eſt. Nam prater id, quod prudentis eſt, quod in quoque optimum eſt, ſi poſſit, ſuum facere; tum in tanta rei difficultate vnum intuentes vix aliqua pars ſequitur.* Lib. 10. c. 1.

Quartum. Quanuis omnes hoc modo imitandi, vnus tamen præ omnibus ſequendus eſt, in eo poëſis genere optimus, quod profitemur. Vt, in Heroicis Virgilius, in Lyricis Horatius, in Elegis Tibul-

lus, aut Propertius. Valet enim in imitatione quod de lectione dixit Seneca: *Probatos ſemper lege, & ſi quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redi: exẽplo circini, cuius alter pes in medio figitur, alter circumagitur.* Hoc primum in ſuis præceptis voluit eſſe Cicero: quẽ oratori exemplar ſtatuit Quintilianus. Ab eodem Tibullus magis probatur in elegis: & Lyricorum Horatius ferè ſolus legi dignus pronunciatur.

Epiſt. 2.

Lib. 10. *c.* 1.

Quintum. Boni auctores cum quadam æmulatione imitandi ſunt, & cum ijs certandum non modo in vulgaribus, ſed inſignibus, & illuſtribus locis. Plinius: *Nihil obfuerit, quæ legeris hactenus vt rem argumentumq́ teneas, quaſi æmulum ſcribere, lectisq́ conferre, ac ſedulo penſitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, ſi nonnulla: tum magnus pudor, ſi cuncta ille meliùs. licebit interdum, & notiſſima eligere, & certare cum electis. Audax hæc non tamen improba, quia ſecreta contentio; quanquam multos videmus eiuſmodi certamina ſibi cum multa laude ſumpſiſſe. quoſque ſubſequi ſatis habebant, dum non deſperant, anteceſſiſſe.* Hæc poſtea legentes magnopere dele-

Lib. 7. *ep.* 9.

delectat in eadem re bonorum ſcriptorum manifeſta contentio. Nam alius in alio vincit, ac vincitur.

Sextum. Optima eſt imitatio, ſi in ea vel non appareat, quod imitati ſumus, vel certè ſi appareat aliud ab illo videatur eſſe; alioquin probanda non eſt ſi ab altero emendicata, & ſurrepta quodammodo videbitur. Docet id Seneca: *Apes imitari debemus, & quæcunque ex diuerſa lectione congeſſimus ſeparare; melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibita ingenij noſtri cura, & facultate in vnum ſaporem varia illa libamenta confundere, vt etiam ſi apparuerit, vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quàm vnde ſumptum eſt appareat. Quod in corpore noſtro videmus ſine vlla opera noſtra facere naturã. Alimenta quæ accepimus quandiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cum ex eo, quod erant, mutata ſunt; tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia præſtemus, vt quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint, ſed concoquamus illa; alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & ne-* Epiſt. 84.

noſtra faciamus, vt vnum quiddam fiat ex multis, ſicut vnus numerus fit ex ſingulis. Hoc faciat animus noſter; omnia, quibus eſt adiutus abſcondat: ipſum tantum oſtendat, quod effecit. Non igitur integri verſus, vel eorum pars accipienda eſt, vnde cognoſcatur auctor, quem imitamur, ſed omnia in alienum dicendi ſuccum commutanda.

Modus imitandi. Cap. XXXVI.

DVobus modis opus alterius imitatur pictor: vel iiſdem coloribus, & lineamentis referendo: vel ad alienæ tabulæ exemplar alteram conformando, vt in pictura potius diſſimilitudo appareat, quàm ſimilitudo. Prior ille modus, vt laudetur in pictoribus, damnatur in poëtis, alijsq. ſcriptoribus: colores enim poëtici verba ſunt, & loquutiones: quæ ſi integræ ad rem noſtram traducuntur, non in eam tranſiſſe, ſed aliquid alterius dicentur eſſe. Poſterior verus eſt imitandi modus, vt propoſito alterius exemplo, aliud ſimile confingatur, aut potius ex arte diſſimile. Sit exemplum. Legit aliquis apud Lucanum:

Tum

— Tum quæ ſolitis è fontibus exit
Non habet vnda vias; tàm largas alueus omnis
A ripis effundit aquas. iã naufraga cãpo
Cæſaris arma natant, impulſaq; gurgite multo
Caſtra labãt: alto reſtagnãt flumina vallo.

Idq. aduertit ad vrbem Romam poſſe transferri exundante Tiberi:

Iam Tiberina ſuæ diſiecto margine ripæ
Mœnibus vnda fremit victrix: iam naufraga fluctu
Roma natat, lapſaq; domus, impulſaq; vaſto
Gurgite templa labant: implentur flumine valles,
Et ſeptem geminis decreſcũt mõtibus arces.

In hac imitatione abſconditur Lucani locus, & tamen ab illo deſumpta deſcriptio eſt. Sed hæc clariùs diſtinguenda, & deinceps proſequenda ſunt.

Rerum imitatio. Cap. XXXVII.

IN rebus primo eſt Inuentio, & Diſpoſitio: deinde modus inchoandi, narrandi, digrediendi, abſoluendi. Sunt affectus, mores, perſonæ, conciones, ſententiæ, & ſimilia. Inuentionem alterius

poë-

Digitized by Google

poëmatis præſertim noti, euulgatique vel integram, vel maioris eius partis aſſumere non licet ſine aliqua tenuis ingenij nota. Hoc enim maximè proprium poëtæ opus eſt, qui non aliunde res aſſumit, ſed machinatur ex ſuo. Quod ſi has ab altero mutuas accipit: anguſtam mentem, & ſuis opibus diminutam demonſtrat. Nouum aliquid excogitet; mutet rerum cauſas, & euentus, vt videatur inuentis addere, & illa non quærere. Interdum non licet longiùs recedere ab exemplo alterius. Sed hoc fit magis ex præceptis artis, quam ex imitatione. Sic in Panegyri præcipitur, vt quæ iuxta ordinem vitæ geſta ſunt, in ea commemorentur. Atqui ſi id aliquis efficiat, modum perſequetur, quem in tertio conſulatu Honorii adhibuit Claudianus.

Iam in parte Poëmatis Inuentio aliunde aſſumpta etiam mutanda, vel occultanda eſt. magis enim ſemper placebit, quo apparebit recentior. Narrat Virgilius Furiam Alecto ab inferis à Iunone euocatam anili ſpecie dormienti Turno viſam, & excitantem ad bellum. Statius mutata perſona, Laium Etheoclis auum ab Inferis à Mercurio eductum eidem in ſomno viſum,

7. Aen. *2. Theb.*

ſum,

ſum, ſuadentemq. ad bellum finxit. Ille de monſtrante ſe Furia:

——— *Tum flammea torquens*
Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinib⁹ angues,
Verberaq; inſonuit.

Statius de Laio:

——— *Confeſſus auum, diriq; Nepotis*
Incubuit ſtratis: iugulũ mox cæde patentẽ
Nudat, & vndanti perfundit vulnere ſomnum.

In diſpoſitione paulò liberior eſt imitatio. Quid enim prohibet in Heroica perſequi ordinem inuerſum narrandi, quem Homerus, & Virgilius, & optimus quiſque poëtarum ſequitur? vt nempe quæ primo ſunt geſta, reijciantur in medium: quæ media, initio referantur: vt in principijs, & in exitu ne ſint digreſſiones. At in Tragœdijs, & breuioribus poëmatis nimia imitandæ alienæ diſpoſitionis cupiditas eſſet odioſior: ſemperq. cauendum eſt, ne auctor videatur addictus iurare in verba magiſtri. Sic, inuocatio Muſarum ſi permittitur in longiori poëmate, non eſt in omni vel Panegyrico, vel oda inculcandum:

De-

Hor. lib. 3. ode 4. *Deſcende cœlo, & dic age tibia*
Regina longum Calliope melos;
Aut cum Propertio in rebus ſacris:
Sacra facit vates: ſint ora fauentia ſacris.
Immò quia elegiarum, minorumq. poëmatum initia fermè abrupta legimus, & in rem ſubito deducentia, præceptum elicitur: Communia illa principia deuitanda: ſuum cuique ac proprium eſſe debere. Simile artificium in clauſulis, alijsq. poëmatis partibus obſeruandum. Plura de his, de moribus, affectibus, alijsq. dicerem. Sed quia hæc imitatio diſtingui ab eloquendo vix poteſt, ideo cum verborũ imitatione coniungitur.

Verborum imitatio. Cap. XXXVIII.

HIc verò multo æquiùs Seneca præcipit: *Aut ſolum oſtendatur, quod fecimus, aut ſi appareat vnde ſumptum ſit, aliud eſſe ab illo appareat.* Nam inuentio ſæpè latet variata rebus, temporibus, perſonis: verba tanquam colores, ſe produnt, & aliò traducta, primam ſedem ſponte repetunt, & indicant etiam in curioſis. Igitur vt cum laude fiat imitatio ver-

Digitized by Google

verborum, tribus opus erit adiumentis; *Adiectione, Detractione, Commutatione*.

Adiectio, ſiue exceſſus verborum eſt, cùm propoſitus poëtæ locus pluribus extenditur, & amplificatur. Virgilius: 1. *Georg.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terrā
Inſtituit. Ouidius: 5. *Metam.*
Prima Ceres vnco glebas dimouit aratro,
Prima dedit fruges, alimētaq; mitia terris,
Prima dedit leges; Cereris ſunt omnia munus. Ouidius idem: 12. *Meta.*
Iam cinis eſt, & de tam magno reſtabat Achille
Neſcio quid, paruam quod non bene compleat vrnam. Seneca: *In Herc. œt. Act. 5.*
Timete Superi fata, tam paruus cinis
Herculeus eſt. huc ille decreuit gigas:
O quanta, Titan, in nihil moles abit?
Anilis, heu me, cepit Alciden ſinus.
Hic tumulus ille eſt: ecce vix totā Hercules
Compleuit vrnam.

Ouidius de eodem. *Ibid.*

At viuit totum quæ gloria cōpleat orbem.

Lucanus de Pompeio: *Lib. 8.*

———————— *Temeraria dextra*
Cur obicis Magno tumulum? maneſq; vagantes
Includis ſitus eſt, quâ terra extrema refuſo

Pen.

Pẽdet in Oceano, Romanũ nomen, & omne
Imperium Magno eſt tumuli modus.

Et nos ita ſcripſimus:

De Alex. Card. Farneſio.

——————— *Cineſacta ſepulchro*
Obruet oſſa lapis; ſed non & pondera ſaxi
Fama timet, Zephyris, volucriq; ſimillima flamma.
Iamq; per extremos fœlicibus incita pẽnis,
Et laudes ordita ſinus, vix ſufficit ore,
Vix oculis: vix fama omnes par ſubrigit aures.

Porrò Adiectio maximè eſt accommodata mutationi; multiplici enim tanquam verborum velo cælat imitamentum.

Detractio adiectioni contraria, rem copioſiùs expoſitam paucis complectitur. Catullus:

De nupt. Pel. & Thet.

Nam quò me referam? quali ſpe perdita nitar?
Iſthmoneosnè petã montes? at gurgite lato
Diſcernẽs patriã truculentũ diuidit æquor.
An patris auxilium ſperem? quemnè ipſa reliqui,
Reſperſum iuuenẽ fraterna cæde ſequuta.
Coniugis an fido conſoler memet amore?
Qui nè fugit lẽtos incuruans gurgite remos.

Virgilius:

4. Aen.

En qd agã? rurſus nè procos inuiſa priores

Expe-

Experiar, Nomadumq́ petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iã dedignata maritos?
Quod Seneca fuſiùs: *In Med. Act. 2. Sc. 2.*
Virgilius de Sicilia, eiuſq. freto:
Hæc loca vi quondam, & vaſtá conuulſa ruina
Diſſiluiſſe ferũt; cum protinus vtraq́ tellus
Vna foret; venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruaq́ & vrbes
Littore diductas anguſto interluit æſtu.
Lucanus: *3. Pharſ.*
Longior Italia, donec confinia Pontus
Solueret incũbens, terraſq́ repelleret æquor.
At poſtquã gemino tellus eliſa profundo eſt.
Eodemq. libro:
Quà mare tellurẽ ſubitis aut obruit vndis,
Aut ſcidit, & medias fecit ſibi littora terras.

Quæ ſequuntur figuratè dicta pertinent ad Commutationem.

Vis illic ingens pelagi, ſemperq́ laborant
Aequora, ne rupti repetant cõfinia montes.

Eſt igitur *Commutatio* cum eadem ferè, alijs verbis complectimur, aut alio ſenſu immutamus. Cui æquiparatio vel contrarietas, vel certè figuræ diuerſitas ineſt.

Æquiualent ſententiæ etiam ex proſa oratione conuerſæ in carmen. Cicero: *Vellem Dij immortales feciſſent, vt viuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quã mortuo honores quæreremus.* Ouidius:

9. Philip.

13. Metamor.

Si mea cũ veſtris valuiſſent vota Pelaſgi,
Non foret ambiguus tãti certaminis hæres:
Tuq; tuis armis, nos te potiremur Achille.

Quanquam hic & figuræ mutatio eſt. Plinius: *Enituit aliquis in bello, ſed obſoleuit in pace. Alium toga, ſed non & arma honeſtauerunt. Reuerentiam ille terrore, alius amore humanitatem captauit. Ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Poſtremò adhuc nemo extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi noſtro quanta concordia gloriæ contigit? vt nihil ſeueritati eius hilaritate, nihil grauitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahatur.* Claudianus:

In Paneg.

1. Paneg. in Stilic.

——— Nunquam ſincera bonorum.
Sors vlli conceſſa viro Quẽ vultus honeſtat
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit: bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitijs; in publica fœlix,

Sed

Sed priuata minus: partitum ſingula queq;
Nobilitant. Hunc fama decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illũ ſolertia iuris,
Hunc ſoboles, caſtiq; thori: ſparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Vel cum ex vno genere carminum traducuntur ad aliud. Vt, ex Lyrico ad Epicum. Horatius: *Lib. 1. od. 3.*

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem.

Statius: *In propẽp. Metij Celeris.*

Quis rude, & abſciſſum miſeris animantibus æquor
Fecit iter? ſolidoq; pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoq; immiſit hianti?
Audax ingenij, neque enim temeraria virtus
Vlla magis.

Neque hoc loco deeſt figuræ mutatio.

Hæc verò aderit, cùm vel quod figuratè ab altero eſt dictum, nos abſque figura dicimus: vel contrà figuram adhibemus, quam ſcriptor poſthabuit. Sine figura Cicero: *Nullum eſt officium, quod non auaritia comminuere, atque violare ſoleat.*

leat. Virgilius figuratè.
—— *Quid non mortalia pectora cogis.*
Auri ſacra fames? Virgilius ſine figura:
Nulla ſalus bello: Pacẽ te poſcimus omnes.
Aliquis figuratè diceret:
Pax precor ò adſis: pariunt quam bella ſalutem?

7. Æn. De Troianis Iuno apud Virgilium figuratè.
Heu ſtirpem inuiſam, & fatis contraria noſtris
Fata Phrygũ. num Sigœis occũbere cãpis?
Nũ capti potuere capi? nũ inuiſa cremauit
Troia viros? medias acies, medioſq; per ignes
Inuenere viam.

Lib. 4. od. 7. De eadem gente Horatius alia figura:
Merſes profundo, pulchrior euenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretq;
Prælia coniugibus loquenda.

Hæc figuræ mutatio non ſolum figuratum dicendi modum includit; ſed cum per genera explicatur quod dictum fuerat per ſpecies: aut contra generatim dictum per partes exponitur. Primi exemplum eſto. Horatius ad Auguſtum:
Laudant
Nilusq;, & Iſter, te rapidus Tigris,
Te

Te belluoſus qui remotis
Obſtrepit Oceanus Britannis.

Alius generatim:

Omnia te fuſæ laudant per littora gẽtes.

Secundi. Virgilius: 6. *Aen.*

——— *Si tanta cupido eſt*
Bis ſtygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara.

At plures partes alibi complexus eſt. 4. *Georg.*

Tanarias etiam fauces, alta oſtia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, maneſq; adijt regemq; tremendũ
Neſciaq; humanis precibus manſueſcere corda.

In primo *Detractio*, in ſecũdo *Additio* eſt.

Contrarium vero inerit, cum res contrariæ ſubijciuntur. Virgilius: 2. *Georg.*

Mox tamẽ ardẽtes accingar dicere pugnas
Caſaris, & nomẽ fama tot ferre per annos,
Titoni prima quot abeſt ab origine Caſar.

Statius: ——— *Quando Itala nondum* 1. *Theb.*
Signa, nec arctoos auſim ſperare triũphos,
Bisq; iugo Rhenum, bis adactum legibus Iſtrum.

Idem Virgilio ſimilis: 1. *Achill.*

——— *Te longo necdum fidente paratu*
Molimur, magnusq; tibi præludat Achilles.

A quibus culta ſit Poëſis. Cap. XXXIX.

HActenus Poëticæ tanquam faciem, formamq coloravimus: eiusq. acquirendæ præſidia collata ſunt. Quæ cum viderit quiſpiam fortaſſe putabit in tenui multum laboris eſſe. At ſciat tenuem non eſſe gloriam; tum quia veros honores ſine fabula machinatur poëſis: tum quia ſui cultores habuit pleroſque ingeniorum reges, multos & hominum. Quorum catalogum alij prolixè pertexunt: ego paucos attingam. Et priſcorum quidem virorum ſapientia, ingenioq. præſtantium quotusquiſque habitus eſt ignarus poëticæ? Nam quos doctrinarum inuentores celebrauit antiquitas primùm de diuinitate, de mundo, de rerum ortu atque interitu differentes poëſis ad philoſophandum inſtruxit. *Per idem*, referente magno Auguſtino, *temporis interuallum, extiterunt poëtæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Dijs carmina faciebant*. & paulo poſt: *Ex quorum numero fuiſſe perhibentur Orpheus, Muſæus, Linus*. Orpheus quidem multa conſentanea veritati fidei Chri-

Lib. 18. de Ciu. Dei. c. 14.

Chriſtianæ ſcripſiſſe fertur: Eundem ob *Iacob. Salian. to.2.*
cantus ſuauitatem feras, & inferos mouiſ-
ſe, expiationes facinorum, morborum
remedia, placationes numinum inueniſſe
priſca ætas prædicauit. Muſæum Theogo- *Suidas.*
niam, & vitæ inſtituta carmine comple- *Diog initio operis.*
xum, ſphæram primum reperiſſe. Linum *Diodor.*
de Coſmogonia, de ſolis, & lunæ curſu,
de animantium, frugumq. generationibus
ceciniſſe: litteras è Phœnicia tranſtuliſſe,
numeros, & melodiam dediſſe Græcis.
Alij poëtæ memorantur, qui ſeptem Græ- *Patritius.*
ciæ Sapientes ætate præceſſerunt, haud
multo inferiores opinione ſapientiæ. At
de ſeptem, Diogenes in Thaletis vita,
Anaximenes, inquit, *omnes ait poëticæ*
magis fuiſſe ſtudioſos. Et videtur non
de his ſolum, ſed de philoſophis genera-
tim loqui. Thales quidem, cui Pythia
ſapientiam primam adiudicauit, verſu de
rebus naturalibus ſcripſiſſe fertur: quod
quidam negant, aiuntq. nihil poſt ſe reli-
quiſſe. Solon, quem Plato præter cæte- *In Timæo.*
ras eius poëſis laudes poëtam ἐλευθεριώ-
τατον, *generoſiſſimum* nuncupat, carmine
conciones, res Athenienſium publicas, a-
liaq. complexus, ciues ad repetendas di-
tionis ſuæ inſulas permouit, ad tuendam



libertatem accendit: vt eos ſuauius legibus obligaret, leges poëticis numeris obligauit: ſicut ante Draco iiſdem Athenienſibus leges tradiderat. Cleobulus, Pittacus, Periander, Chilo, Bias omnes poëtica floruerunt. Pythagoras æquè poëtæ ac philoſophi nomine inſignis fuit. Socrates morti proximus Pæana cecinit, qui ante fabulam decantarat. Plato Tragedias, Dithyrambos, Lyrica, Epigrammata: Ariſtoteles poëtarum inſtitutor, & poëta nobilis, carmina plus quadraginta quinque millia ſcripſit, quem numerum pauci poëtarum exæquarunt. ſed tamen Zoroaſter Aſtronomorum Rex verſus centies mille vulgaſſe dicitur. Quot Archelaus, Parmenides, Empedocles? quot ex antiquioribus Anacharſis regis frater, Epimenides, alij? vt mihi videantur illis ætatibus ſapiētes doctrinæ laudem ſine poëſi quærere noluiſſe.

Diog. in vv. *Id. in v.* *Id. in v.* *Id in v.* *Id. in v.* *Id. in vv.*

At Homero ſuperfluum eſt ingenij palmam tribuere, Platonis teſtificatione, *duci ſapientum:* quem *diuinum præ cæteris: fontem ingeniorum, primum doctrinarum, & antiquitatis parentem: cuius pöēma pretioſiſſimum humani animi opus dixere; ſine exemplo maximum: neque*

In Theat. *Ariſt. in poet.* *Plin. l. 17. c. 5. li. 35. c. 2. lib. 7. c. 29.* *Paterc. l. 1*

ante illum, quem ille imitaretur, nec poſt illum qui eum imitari poſſet, inuentum. Sed ab his auctoribus ſeponitur, opinor, *Plinio.* Virgilius, quanquam oculatior in multis, *Patere.* latinus tamen & ipſe Homerus. At Sophocles *Attica Siren* dictus, *tragici co-* *Plin. lib. 7* *thurni princeps, delicia Liberi patris, cu-* *c. 29.* *ius admonitu humatus eſt.* Pindaro, vt carmen dulcius melle portenderent, Apes in eius infantis & adoleſcentis ore bis mella finxerunt.

Iam vero apud Romanos, Varro doctiſ- *Id. lib 11.* ſimus, & Cicero lux doctrinarum, ac Prin- *c. 5.* ceps ingeniorum extitere. Varro de na- *Lib. 7. c.* tura verſu cecinit, edidit inſtar Mœnippi *30.* ſatyras. Cicero ad omnes diſciplinas factus, teſte Plutarcho, ἐῤῥύη πῶς προθυ- *In vita.* μότερον ἐπὶ ποιητικὴν *decurrebat quodammodo propenſius in poëſim:* ante poëta, quam orator; immo vt orator, ita ποιητὴς ἄριστος ῥωμαίων, *poëta optimus Ro-* *Ibid.* *manorum.*

Nec Principes deſiderantur, qui perinde Imperio Reipublicæ clari, ac poëticæ fuerunt. Sylla Dictator Comœdias, Satyras, Mimos Græco more perfecit. Cæ- *Suet. in 1* ſar item Dictator Iter poëma ſcripſit, quo *lib. 56.* fortè ſua itinera deſcripſit, cùm alia iunior

luſiſ-

Macr. ſat. lib. 3. luſiſſet. Auguſtus epigrammata balnei tẽpore meditatus, librum exametris verſibus: Achillem Tragœdiam edidit: Aiacem inchoauit, non ſuccedente ſtylo, aboleuit. Tiberius carmen lyricum, & græca poëmata reliquit. Germanicus Romanorum flos Cæſarum in laureto Muſarum laurum poëticam triumphali adnexuit. Claudius laudatus in hiſtoria etiam excelluit in poëſi. Nero poëtarum, poëta & ipſe cultor, carmina libenter ac ſine labore compoſuit. Tragœdias ante ſibi auctor, deinde actor populo cantauit in ſcenis. Cùm Seneca præceptor nobiliſſimus ſpineta & aculeos Stoicorum poëticis floribus aſperſit. Lucanus pharſalico cantu, quam auguratu: Brutus verſu quam Prætura: Silius heroicis Muſis, quam Conſulatu, & ante illum Meſſala, Hortenſius, Catullus, Sulpitius, Torquatus, alij carminibus, quam faſcibus clariores extitere. Nec Plinio iuniori item Conſuli ſua poëticæ laurus: nec multo poſt Auſonio defuit, ac Seuerino Boëtio. Septimus à Nerone Domitianus ſimulauit poëticæ ſtudium: ſcripſit poëmata *maximus poëtarum*, vt ait Quintilianus, recitauitq. publicè. ſed frater eius Titus multo auguſtior,

Suet. iu v. c. 85.
Id. in v. c. 70.
Id. in Cal. c. 3.
Girald.
Suet. in v. c. 32.
Tac. l. 14. *An.*
Plin. lib. 5. *ep.* 3.
Suet. in v. c. 3.
Val. Flac. 1.
Suet. in v. c. 3.

ſtior, ſine poëſi non fuiſſet Delicium generis humani. Nerua ob carminis ſuauitatem dictus eſt Tibullus. Traianus ſucceſſor non ille quidem poëta, ſed poëtarum fautor eximius *ſolus triſtes ea tempeſtate Camœnas reſpexit* Adrianus omnium doctrinarum profeſſor, poëſim ſolitariam non amauit. Ab illo adoptatus Ælius Verus eloquentiæ celſioris, verſu facilis fuit. Poſt Adrianum vſque ad Alexandrum Seuerum poëſis excluſa Palatio eſt, facundiæ Græcæ magis quàm Latinæ, nec verſu inuenuſtum, quo vitas bonorum Principum ſcripſit. Eo crudeliter necato duo Cæſares ſuffragio Senatus Romæ imperium cepere, quorum alter Balbinus apollinari laurea coronatus Maximini bellicum fulmen non expauit. Nã Gordianus ſenior qui Balbinum præceſſerat, & alijs carminũ voluminibus celebratus, Antoninos diſertiſſimo librorum triginta poëmate celebrauerat, Romam Auguſtus non vidit ſpontè cæſus in Africa. Et multo ante Albinus Cæſar in Britannia factus, occiſus in Gallia, ſcribendis Georgicis cum Virgilio prius quam cum Septimio Seuero conflixit; ſed ab hoc victus vitam perdidit: ab illo, & gloriam. Ma-

Iuu. ſat. 7.

Spart. in v.

Idem v.

Lampr. in v.

Capit. in v.

Id. ibi

Id. ib.

Id. ibid. crinus Antonino Seueri filio ſuffectus, quàm callidus iureconſultus, tam poëta non ineptus, nec ipſe Romam Cæſar aſpexit. *Euſeb. in Chron.* Philippus non cenſendus in poëtis, illis maximè profuit, qui lege lata maledicorum impurorumq. poëtarum linguam, manumq. coërcuit. Poſtea Gallienus dignior Poëtarum, quam imperij Auguſtus, *Crÿit. in v.* iam antè verſu inuictus centum è Græcis Latinisq. certantes vno epithalamio perdomuit. At Numerianus Cari filius verſu talis fuiſſe, quod ait Vopiſcus, prædicatur, vt omnes poëtas ſui temporis vicerit. Gratianum gratioſiorem fecit *Eutrop. lib. 13.* Poëſis. Deinceps dilabente Imperio ipſa quoque Cæſaribus imperare deſijt.

At inter reges Amphion Thebarum Rex vetuſtiſſimus, Iudicum Hebræorum æuo, poëticis cantibus ſaxa mouiſſe perhibetur, hoc eſt ſaxeos, rudesq. homines, vt mœnia conderent, impuliſſe. Numa Pompilius de Dijs, Deorumq. rebus verſus cõpoſuit, ijsq. traditis ad ſacrificia, ludosq. publicos ferocem populum emolliuit. Sed quid poëſi glorioſius, quàm ſanctos olim *Lib. 3. Regum c. 4* viros eius numeris fuiſſe loquutos, Moy- *Iac. Salia. an. Salom. 3.* ſen Ducem, Dauidem Regem Hebræorũ? Salomon autem ille hominum ſapientiſſi-

mus

mus hauſta diuinitus ſapientia poëticam etiam cognitionem accepit. Et, vt teſtantur ſacræ paginæ, *Fuerunt carmina eius quinque millia*; vel, quod Interpretes Septuaginta perſcripſere, * *Cantica eius quinque mille*. Dignum tali Rege melos, qui & Tragœdiæ, Comœdiæ, Satyræ peritus fuiſſe dicitur, tot ante ſæculis, quàm Ariſtoteles antiquorum lectione poëtarum, & obſeruatione naturæ, iſta cognouerit, & ſcripſerit.

* ᾠδαὶ

Id. ex Abulen.

Accedunt ſacrorum, & ſanctorum Antiſtitum infulæ, quibus viſa eſt poëſis auguſtior. Nam SS. Cyprianus, Paulinus, Hilarius, Ambroſius, Fulgentius, Gregorius Nazianzenus vario poëmatum genere floruerunt. Nec defuere Summi Pontifices Damaſus, Magnus Gregorius, Pius Secundus, Leo Decimus: Et nouiſſimè hac quoque re VRBANVM ſuſpicit Roma, diuinis rebus & gerendis, & canendis Maximum. Alterum accenſere poſt tanti nominis faſtigium Hiſtoria, & Poëſis vetant.

Hono-

Honores, & Munera collata Poëtis. *Cap. XL.*

A Veſp. Adria. alijs.

NOn ſolam venerationem, cultum, dignitatem, ſed quodcunque commodum præſtitum poëtis intelligo. Primum eſt: ijs alimenta, & ſalaria conſtituta, crebra, & optima olim fuere, hodieq. ſunt. Secundum: pecuniæ ingentes traditæ; & aureis nummis, immò & nummorum cumulo penſati verſus. Tertium: oblata munera, aurei, gemmeiq. torques, prædia, immunitates: inſtructæ cœnæ, & conuiuia; vt olim Pindarus partem eorum, quæ Apollini offerebantur, acciperet, & ſacerdos in ſacrificijs illum vocaret ad cœnam Dei. Quartum: Dynaſtarum, Regum, Cæſarum ſtudium, & amicitia: magniſq. redditibus vocati in aulas Principum; quippe qui pecuniæ cenſu redimere famæ immortalitatem ſtudent. Quintum: oblatæ Præfecturæ, Magiſtratus, Præturæ, Conſulatus, totius belli adminiſtratio. Sic Tyrtæus à Laconibus bello dux

Pindaro. Cherilo. Virgilio.

Prudentio. Silio. Auſonio, & alijs.

dux factus, vt vincerent: & vicerunt. Sextum: Ius Romanæ ciuitatis olim datum: alibi pugnantibus vrbibus, vt ſibi ciuem vnaquæque poëtam aſcriberet. Septimum: Imagines in Bibliothecis inter ſapientes, in Lararijs inter Heroas dedicatæ. Octauum: erectæ ſtatuæ priuatim, publicè: [a] eædem coronis redimitæ. Nonum: Poëtis ſolemni apparatu, magnoq. plauſu ciuitatum, ac prouinciarum data à Cæſaribus ac Regibus corona. Decimũ: Poëmata [b] publicis inciſa tabulis: [c] ſcripta aureis litteris: [d] condita ſcrinijs gemmeis: ſancitis per leges recitationibus pronunciata. Vndecimum: [e] Autographa à regibus poſtulata, vt illuſtres Bibliothecas nobilitarent, [f] grandiq. munerum, reiq. frumentariæ compenſatione recepta. Duodecimum: Defunctis parentarunt hoſtes, aut honorem funeri exhibuerunt: vt, Sophocli Lyſander Laconum Rex in obſidione Athenarum à Libero Patre admonitus, vt ſineret humari delicias ſuas. Tertiumdecimum: decreta, & ſtructa illuſtria ſepulchra: eorum ſtatuæ tumulis Imperatorum impoſitæ: vt olim ſpolium ex Africa à Scipione raptum cum Ennij poëtæ titulo legeretur. Quartum-

Omnbus à Caſare.

Virgilio ab Alexãdro Seuero.

Sopho Eurip. Claud. alijs.

[a] *Theodect. Tragici ab Alexand.*

[b] *Archil. Eurip. Sophocl.*

[c] *Pindari.*

[d] *Homeri.*

[e] *Sophocl. Eurip. Archil.*

[f] *Eurip. & Sophocl. à Ptolomæo.*

Etiam à Getis Ouidio.

Plin. lib. 7. c. 30. tumdecimum: celebratæ patriæ, cultæq; ab hoſtibus ædes priſcæ poëtarum. Sic *Ibid.* Lacedemonij primum, deinde Alexander incenſis Thebis penatibus, & familiæ Pindari parci iuſſit. Quintumdecimum: litatum illis ad aras, vt Virgilio: templa erecta, vt Steſichoro à Phalari: Homero à Ptolomeo rege. Quam certè opinionem diuinitatis non ingeſſit animis ſola vanitas, & adulatio, quæ diuos Auguſtos emētita eſt, ſed eximiæ teſtificatio virtutis.

Corona Poëtarum. Cap. XLI.

1. Achil. NOn vna corona tribuitur Poëtis. Laurea primum. Statius ad Domitianum:

At tibi, cui gemina florēt, ſvatumq. ducūq.
Certatim laurus. Horatius:

Lib. 3. od. 0.
—— Et mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomone comam.

Gyr. in Muſ. Alij frequenter. An quia laurus dicata Apollini, in eius, & Muſarum certaminibus poëtis dari ſolebat? an quia ea arbo- *In Caſſandra.* re poëtæ afflari, teſte Sophocle, putarentur? an quia guſtata lauro ſimul deuorari poëſim antiqui crediderunt? vt de ſe canit Heſiodus: ideòq. Iuuenalis:

Lau-

—— *Laurumq; momordit.*

An quia ex virente ſemper arbore perpetuam poëtæ carminibus augurantur vitã? Hac coronatus fertur Lucanus à Nerone in Pompeij theatro. Altera hederacea. Virgilius:

Paſtores hedera creſcentem ornate poëtã. *Ecl. 7.*

Horatius:

Me doctarum hederæ præmia frontium.
Dijs miſcent ſuperis.

Iuuenalis:

Quid facis in parua ſublimia carmina cella,
Vt dignus venias hederis & imagine macra?

Idem alij. Plinius: *Alicui* hederæ *& ſemen nigrum, cuius coronis poëta vtuntur, ſolijs minus nigris: quam quidam Dionyſium, alij Bacchicum vocant, maximis inter nigras corymbis.* *Oui. Triſt. l. 2. el. 6. Perſ. in prol. Mart. lib. 8. ep. vlt. Lib. 16. c. 34.*

Propertius: *Lib. 4. el. 1*

Ennius hirſuta cingat ſua dicta corona,
Mi folia ex hedera ſuffice. Bacche tua.

Nempe poëtis grandiloquis, & Epicis addixit lauream: tenuibus, & elegiographis hederaceam: vt ibi interpres. Quibus & myrteam addicit Ouidius:

Cingere littorea eflauentia tempora myrto *Lib. 1. Am. el. 1.*
Muſa per vndenos emodulata pedes.

H Tr-

Tributur hedera poëtis, an quia ſemper virens, ſemper florenti carminum adrepit gloriæ? an quia in Liberi patris clientela, cui hederam olim ſacrauerant, fuerunt poëtæ? tragici præſertim & comici, cum Athenis Comœdiæ, Tragœdiæque Bacchanalibus agerentur: & ijdem inſanire more Bacchi ſimulabant: quodam vociferante:

Turneb. Aduer. li. 28. c. 26. Seru. ecl. 7. vir.

Quò me Bacche rapis tui plenum?

Hor. lib. 3. od. 25. Plut. lib. 3. Symp. q. 2.

An quia commanducata hederæ folia in furorem vertunt, quem videlicet ſibi familiarem ad pangenda carmina poëtæ aſciſcunt? an quia hedera deſignat artem, & induſtriam poëtarum? Vt enim illa ſerpit, & adminiculum nacta erigitur: ſic fultus poëtica nititur ad præcelſam nominis famam. Ad hæc corona poëtis ex oliua contexta eſt. Nam in certaminibus olympicis, qui ex illis recitando vicerant, oleaginam coronam more cæterorum olympionicarum accepere. Ideò plerique ſtudebant:

Li. 1. od. 7.

Vndique decerptæ frondi præponere oliuã.

Aduer. li. 11. c. 26. & 19. c. 3. Lambin. od. cit.

Eoq. Horatij verſu Turnebus oleam poëtis aſcribit, quam ex omni materia & argumento veluti colligerent, & dicturi de Athenis, & Minerua capiti imponerent.

Nec

Nec iure ab alijs expungitur, vt hederacea ſupponatur. nam vtraque præter lauream fuit.

Præterea ex quercu dedit Domitianus, inſtitutis Ioui Capitolino certaminibus. Martialis: *Suet. in Domit. ca. 9.*

O cui Tarpeias licuit contingere quercus. *Lib. 4. ep. 54.*

Idem alibi:

Perq; manus tantas plurima quercus eat. *Ibid ep. 5.*

Dabat coronam quernam, quia Ioui quercus dedicata, eius decebat ludos: eadēq; propria Cæſarum, prætextuq. ſeruatorum ciuium palatij foribus perpetuò appenſa, cum cæſareis iungebat honores poëtarū. Quod ſi eadem ciuica donabatur qui hoſte necato ciuem morti eripuiſſet: iure traducta eſt ad poëtas; quos enim commendant, ijs perennitate carminum vitam nominis tribuunt immortalem. Verum Domitianus non è quercu ſolùm, ſed etiā ex olea coronam dedit. Statius:

Nam quod me mixta quercus non preſſit oliua, *Lib. 5. Sylu.*

Et fugit ſperatus honos.

Ille enim Albanis in ludis ab eodem Cæſare Palladi factis coronam victor acceperat, qui non accepit in Capitolinis. ſicut autem in his corona ex quercu dicata

Ioui: ita in Albanis data eſt ex olea dicata Palladi: qua ſe coronatum ſæpe ipſe teſtatur:

Loc. cit. ——— *Qualem te Dardanus Alba*
Vix cœpiſſet ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſarea donata manu.

Et ad Claudiam vxorem:

Lib. 4. Sylu. —— *Ter me vidiſti albana ferentem*
Dona comes, ſanctoq; indutũ Cæſaris auro
Viſceribus complexa tuis: ſertisq; dediſti
Oſcula anhela meis.

Lib. 4. Sylu. Et in epulo Domitiani:
Palladio tua me manus induit auro.

In his locis oliuæ non meminit, ſed ſolùm auri: vt nec Martialis:

Lib. 4. ep. 1. *Hic colat albano Tritonida cultus in auro.*

Nã coronæ fuerunt ex auro in ſimilitudinẽ frondis oleaginæ: ſicuti coronæ triumphales antiquitùs ex lauro, poſtea ex auro in lauri ſpeciẽ conformatæ. neque à Domitiano hoc primò factum: nam, *Craſſus primus argento auroq; folia imitatus, ludis ſuis coronas dedit.* Sed tamen laurea omnium nobiliſſima eſt; eadem quippe triumphalis.

Gell. lib. 5. c. 6.

Statij interpreis.

Plin. lib. 21. c. 3.

Primi Libri Finis.

DE

DE ARTE POETICA LIBER SECVNDVS.

Species, & formæ poëſeos. Cap, I.

COmmune eſt omnium generum diuidi in ſpecies, & formas. Quatuor autem formæ traduntur Poëſis: Epopæia; Tragœdia, Comœdia, Dithyrambica. Epopœia imitatur verſu hexametro, varieq. ſubdiuidi poteſt. Tragœdia Iambo verſu illuſtres perſonas adumbrat ex fœlici in ſtatum infœlicem collabentes. Comœdia perſonas viles incerta primum, deinde proſpera vtentes fortuna, & liberiore verſu contenta eſt. Dithyrambica, ſeu Lyrica vario genere carminũ odas & hymnos efficit. Hæ quatuor partes continent ſub ſe reliquorũ genera poëmatũ.

Ariſt. l. 1. poet.

Quibus diuidantur formæ poëſeos inter ſe. Cap. II.

SPecies cuiuſlibet generis peculiares differentiæ partiuntur. Quod & poëſis, commune genus adſciuit. Ea verò quibus eius formæ diuiduntur, tradente
oe..c.1. Ariſtotele tria ſunt: ἢ τῷ γένει ἑτέροις μιμεῖσθαι, ἢ τῷ ἕτερα, ἢ τῷ ἑτέρως, καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον. *Vel quod genere diuerſis, vel quod diuerſa, vel quod modo diuerſo imitantur.* Genera diuerſa ſunt ea, quæ adhibent ad imitandum artifices; pictor enim coloribus, marmore ſtatuarius, voce, ac verbis poëtæ vtuntur. Quibus inſtrumentis genere diuerſis diuerſa imitatio ſubeſt. Tria vero ſunt poëtica inſtrumenta: Oratio, Harmonia, Rhytmus. Res diuerſæ ſunt, quæ vel natura, vel ex accidente differentes aſſumuntur ad imitandum; quia enim inter ſe differunt, etiam illarum imagines differre par eſt; vt leo, canis, homo. Poëſis quidem pro rebus diuerſis perſonas habet, quæ vel meliores, vel deteriores, vel inter has mediæ ſunt. At modus diuerſus eſt triplex, Exegematicus, ſiue narratiuus: Dramaticus:

cus : & ex vtroque Mixtus. Narratiuus, cum Poëta ipſe loquitur, nec aliæ loquuntur perſonæ, vt ferè accidit in lyricis. Dramaticus cum alij loquuntur tacente Poëta, quod fit in Comœdia, & Tragœdia. Mixtus, cum partim ipſe loquitur, partim ſe in alios loquẽtes immutat, quod proprium eſt Epopœiæ. *Ant. Riccob. c. 1.*

Et de modo quidem conſtat; de inſtrumentis, & rebus non item. Igitur Oratio quæ prima in genere diuerſis numeratur, carmen eſt, ac metricus ſermo. Harmonia eſt muſicus concentus; mos enim erat, vt quæ recitauerant actores in proſcenio, melici deinde ad tibias, & modos, etiam cum choreis imitarentur è pulpito. Sic, narrante Suetonio, Nero Tragœdias cantauit perſonatus. quanquam tum fortaſſe auleticorum cantus ſine recitatione fuit. Rhytmus eſt mimorum ſaltatio. Nam ſimiliter veteres quæ dicebantur in ſcena, repræſentare ſaltando ſolebant in orcheſtra; quæ infima pars pulpiti erat, & à ſaltatione, quæ ὄρχησις dicitur dicta. Hi vero mimi, qui, & planipedes, hoc eſt nudis pedibus agẽtes, arguta totius corporis geſticulatione, motu, ſaltuq. quod alij recitauerant, referebant: ijsq. agentibus ceſſa- *Cap. 21.* *Lucian. li. de ſalt. Robert. in c. 1. Ariſt.*

bat recitatio, ſicut canentibus phonaſcis.

Iam quæ perſonæ dicuntur meliores? quæ deteriores? quæ mediæ? Varia hic interpretum factio. Alij peiorum nomine infirmos, ac plebeios, meliorum verò dynaſtas, ac reges: alij contra hos virtute præſtantes, illos vitio affectos intelligunt: alij vtramque ſententiam probant. Ego in priorem inclino, ratione compulſus, quam potiſſimum Tragœdia ſuppeditat: quæ genere præſtantes, non tamen virtute adumbrat. *Cap. 1. Poet.* Nam tradente Ariſtotele, Tragœdia differt à Comœdia. *ἡ μὲν γὰρ χείρους, ἡ δὲ βελτίους μιμεῖσθαι βούλεται τῶν νῦν. Hæc enim humiliores, illa vero præſtantiores vult imitari, quam qui modo ſunt.* Et eidem Tragœdiæ, vt idem *Cap. 2.* tradit, ſimilis eſt Epopœia, *μέτρου μετὰ λόγου μίμησις εἶναι σπουδαίων, quod metrico ſermone præſtantium imitatio eſt.* Atqui in Tragœdia præſtantes quidem genere, ſed virtute non ſunt. Talis enim potiſſimum is deberet eſſe qui occiditur à prauis Tyrannis, & primas agit partes in Tragœdia. Verum eodem docente, *Poet. c. 11.* *ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων, καὶ δικαιοσύνῃ. Eſt is, qui nec virtute, nec iuſtitia antecellat.* Quos igitur præſtan-

ſtantes, eos non ſublimitate virtutis, ſed generis, & familiæ voluit eſſe. Quod ſi hos nuncupat φαύλους, σπουδαίους, χείρονας, βελτίονας, quæ nomina videntur ſignificare mores, virtutes, ac vitia; ijdem dicuntur ἐπιφανεῖς, *illuſtres*, ὄντες ἐν μεγάλῃ δόξῃ, καὶ εὐτυχείᾳ, *Conſtituti in magna gloria, & bona ſortuna*. quæ præſtantiam generis declarant.

Quomodo Poëſis Species diuidantur. Cap. III.

HIs ità conſtitutis, ab Inſtrumentis, Rebus, & Modò, poëſis ſpecies ità diſtingues. Primò omnibus metrica oratio, ſeu carmen commune eſt, quanquam genere carminum diſſentiant. Epopoeia perſonas imitatur præſtantes, & illuſtres: modum narrandi adhibet mixtum: nudis ſermonibus harmoniam, & rhytmum non habet. Eaſdem perſonas admittit Tragœdia; ſed modus illius eſt dramaticus, intermixto rhytmo, verſu, & harmonia. Nam modò habentur modi muſici, modò ſaltationes, modò recitationes. Comœdia pari ratione metrum adhibuit, harmoniam, & rhytmum. quare diſcrepat ab epo-

Ariſt. lib. 1. poet.

epopœia ; nec minus ab illa, & Tragœdia diſſentit perſonis, quæ viles, & infimæ ſunt. Dithyrambica meliores perſequitur modo narratiuo perpetuo rhytmo, & harmonia. Quare ab alijs ſeparatur, quæ vel modum mixtum, & dramaticum habent, vel perpetuum rhytmum, & harmoniam non habent.

ADDITAMENTVM.

QVidam obſeruant, epopœiam, & lyricam imitari perſonas non modo illuſtres, ſed medias, ac deteriores. Nam & paſtorũ actiones in eclogis imitamur, & alij alias artes, & opificia verſu hexametro præter heroas complexi ſunt. Præterea epopœia aliquando ſolum vtitur modo narratiuo: lyrica autem mixto; inducit enim alios loquentes. Sed nos vnicuique formæ tradidimus, quod maximè illi congruebat, quanuis interdum alterum ab altera modum mutuetur.

Poët c. 1. At præter has quatuor Poëticæ formas nonne alias recenſet Ariſtoteles? Auleticam, quæ tibia: Cithariſicam, quæ Cithara: & quæ reddit fiſtula concentum? Has quidam vltro poëticæ tradunt, quas illa ſuo in regno habere non poteſt. ſi enim ab

ab his carmen ſepares, nudo cum ſono, conſtitues extra poëticæ fines, quæ ſine voce, verſuq. nunquam erit. His autem additis reduces ad lyricam, aut ſcenicam poëſim. Iidem neſcio quam legum poëſim comminiſcuntur, Græcè *νόμων*. ſignificat autem in muſicis certam quandam legem, & rationem canendi, ſed magis propriam citharędorum, & tibicinum. cuius, Teſte Plutarcho, Terpander auctor fuit, canendos verſus excipiens ab Homero. Qua igitur lege hæc noua legum poëſis conſtituitur? De eo canendi modo Suetonius: *Ne concuſſo quidem repente motu terra, theatro ante cantare deſtitit* Nero, *quàm inchoatum abſolueret νόμον.* *In Comm. de Muſica.* *In Ner. c.20.*

Iam Elegiaca, Epigrammata, & alia huiuſmodi, quæ poëticæ forma ſibi vendicat? Hæc includuntur finibus Epopœię, & ad eius veluti latus collocantur, propter Epicum carmen. Odæ etiam, quæ alternos habent hexametros apud Horatium. quanquam hos perpetuo rhytmo, & harmonia decantatas ab antiquis, nihilo minus lyrica complectitur.

liti ſedentes in plauſtris ſua carmina recitare. Ità Sidonius.

Pictum fœcibus Aeſchilon ſequutus, Paneg. 4.
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpim.

Æſchilum Theſpi appoſuit; nam Æſchilus illi ſucceſſit ſublimis, & grauis, ſed rudis in pleriſq. & incompoſitus: Duos hiſtriones adhibuit eoſq. cothurnis, veſtibus, ſyrmate inſtruxit. Choricos à quinquaginta ad quindecim contraxit: pulpitum excogitauit, primarum aliarumq. partium actores inſtituit. Horatius: Ariſt. c. 2. poet. Quint. lib. 10. c. 1.

Poſt hunc perſonæ, pallaq. repertor honeſtæ Ibid.
Aeſchilus et modicis inſtrauit pulpita tignis
Et docuit magnumq. loqui, nitiq. Cothurno.

Sophocles deinde tertiam perſonam addidit & Scenã, vſus ſenario iambo, idemq. aut certè Euripides poſterior natu Satyros Tragœdia deiecit antea per interualla colludentes, vt atrocitatem poëmatis temperarent. Ac tum demum perſonis, apparatu, certiſq. præceptis locupletata Tragœdia eſt. Nec latini, qui deindè ſcripſerunt, quidquam immutandum putarunt. eius verò tanta eſt vis, vt flexanimam Plato dixerit, & Ouidius. Madius.

Omne genus ſcripti grauitate Tragedia vincit.

No-

Nomen accepit an à vindemia, cuius tempore in Icario Acticæ loco reperta, dicitur ab Athenæo? Nam τρύγη *vindemia* eſt. an à *facibus* quibus actores inungebantur, quæ τρύγες? an ab *hirco*; qui τράγος, & Baccho immolabatur; dabaturq. poëtæ victori?

Lib. 2. Cõ. & Trag. inuent.

Scal. l. 1. poe. c. 6.

Horat. In Ar. poet.

Carmine qui Tragico vilem certauit ob hircum.

An quia τραγικοὺς *hircinos* inter vtres ſaltabant in honorem Bacchi: atque vter muſto plenus præmio erat actoribus? an Tragœdia quaſi τραχεῖα ᾠδή, ab *aſperitate cantus*, & rerum atrocitate? Sed cùm ea defluxerit à Dithyrambis decantatis in honorem Bacchi, à victima, eidem cæſa nomen fuiſſe ſortitam probabilius eſt.

Definitur Tragedia. Cap. V.

TRagœdia quibuſdam eſt *fortuna in aduerſis comprehenſio*. Theophraſto, *Heroica fortunæ permutatio*. Scaligero, *Imitatio per actiones illuſtris fortunæ, exitu infœlici, oratione graui metrica*. Quam dum conſtruit; vt Ariſtotelæam euertat, ipſe delabitur. Neque enim ab alijs poëmatis Tragœdiam ſeparat. Scribat enim

enim aliquis per expoſitionem verſu Epico necem alicuius Regis. In hoc poëma quadrat definitio Scaligeri. Atqui poëma Epicum modo narratiuo contentum Tragœdia non eſt. Ariſtoteles ità deſcribit: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρόντων, καὶ οὐ δι᾽ ἐπαγγελίας, ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου, καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάταρσιν. *Seuera., grauis. Robert.*

Tragœdia eſt imitatio actionis illuſtris, perfecta, magnitudinem habentis, ſermone ſuaui, ſeparatim ſingulis generibus per partes agentibus; non per enarrationem, per miſericordiam vero, atq. terrorem efficiens huiuſmodi perturbationum purgationem. Dicitur *imitatio actionis illuſtris*, ideſt actionis illuſtrium perſonarum. *perfecta, magnitudinem habentis.* Actio eſt perfecta, ſi principio, & fine conſtat: magna, ſi neque nimis breuis, nec nimis prolixa ſit, *ſermone ſuaui.* ſermo Tragicus ſuauis eſt, quoniam præter metrum, ſaltationem, & harmoniam habet. Quæ tria ſæparatim adhibentur; ceſſante enim recitatione ſuccedebat muſicus concentus, & illi ſaltatio. Quod ſignificant illa *Victor.*

wsi-

verba, *ſeparatim ſingulis generibus agentibus*, nempè cùm eorum locus, & vſus poſtulat. *Non per enarrationem;* non modo narratiuo quo vtitur epopeia, & lyrica: ſed Dramatico, in quo ſemper tacet Poeta. Demum excitando miſericordiam, & timorem, eos affectus Tragœdia repurgat. Repetendo igitur, clarior ſic erit definitio. *Tragœdia eſt imitatio dramatica actionis illuſtrium perſonarum perfecta, ac magna, ſeparatim adhibens metrum, harmoniam, ſaltationem: & per miſerabiles, ac terribiles exitus temperans affectus miſericordia, ac timoris.*

ADDITAMENTVM.

Metus eſt appropinquantium, & impendentium malorum expectatio, ſeu futurę ægritudinis ſollicita recordatio. Miſericordia verò, ægritudo ex miſeria alterius iniuriâ laborâtis. quam ad nos pertinere aliquo modo putamus. Hos quidem affectus non repurgari, ſed augeri per Tragœdiam Proclus è Platonis ſchola vehementer contendit. Vt enim aliquis iaculando fit iaculator, ſic pauendo pauidus. Ideoque Plato Tragœdiam ſummouet è Republica, quia ciues illa maximè per-

perturbari videbat. Sed Ariſtoteles acutior Naturæ oculus vidit eadem concitatione animos repurgari: vel quia, vt quidam ait Interpres, alij ſedantur affectus. *Madius.* vt cupiditas, amor, odium: vel quia acerbitatem fortunæ facilius tolerant mortales, quam vident omnibus, etiam Regibus *Rober.* eſſe communem: vel quia mala, frequentatione & multiplici exemplo non timen- *Caſtilu.* da arbitramur: vel quia in tragica conuerſione fortunæ quid nos timere deceat ad- *Alexand. Piccol.* diſcimus. Nam cum Tragędia alios alias *Tarq. Gal.* ob cauſas atque errata in miſeriam prola- *de Tragic. c. 1.* pſos imitetur; aduertendo ruinæ principia, timemus, ne etiam ipſi eadem propter ſcelera opprimamur: tum commiſerando, fortunæ noſtræ proſpicimus, ne paria terroris, & commiſerationis exempla præbeamus. Si enim erroribus implicati corruerunt reges, quanto magis corruent priuati ciues? Quo fit, vt ea ſolùm metuamus, quibus iure laudabiliterq. commoueri debemus. Hoc autem eſt purgare miſericordiam, & timorem. non enim debent iſta per Tragœdiam penitus auelli, ſed curari. Quod autem curatur non extinguitur. Neque enim corpus extinguiguit, qui morbo affectum curat. Animi ve-

Digitized by Google

rò perturbationes non alio modo curantur, niſi vt modum quendam, & moderationem accipiant.

Verane an ficta Tragœdia materia debet eſſe. Cap. VI.

IDem eſt materia, & argumentum Tragœdiæ. quæſtioni autem magnis contentionibus agitatæ, ac perobſcuræ lucem affert Ariſtoteles tripartito genere Tragicarum perſonarum. Nam illo docente Tragœdiæ ſiue ab hiſtoria exceptæ vera illuſtrium virorum nomina continent: ſiue vno aut altero eorum, qui vixerunt, aſſumpto, quod reliquum eſt perſonarum, & actionum confingunt: ſiue demum fictis rebus omnibus & nominibus, æquè tamen delectant. Quo ſane vir ſapiens eorum, qui hiſtoriæ veritatem neceſſariò in Tragœdiam inuehunt, ratiocinationem euertit. Aiunt enim motionem Tragicam maiorem minoremue eſſe pro cognitione, quam de ijs rebus ante ſpectator habuerit: ideoq. argumentum ab hiſtoria deſumendum, vt magis res nota permoueat. Ridiculum enim hoc eſt, vt ſubdit Ariſtoteles. Nam tametſi res veræ ſint, paucis tamen

Cap. 7. poe.

Caſtelu. Alexand. Piccol.

notæ ſunt, & nihilominus omnes delectant. Quod perſpicuum eſt in veterum ſpectaculis ad quæ vulgus vniuerſum, & imperitiſſimus quiſque conueniebat; omnes tamen repreſentatione fabulæ permouebantur. Hic vero aliquis: Aut inquit, putamus perſonas eſſe veras: aut neſcimus, an veræ fictæuè ſint: aut omninò fictas agnoſcimus. Si primum: maximè commouemur: mediocritèr, ſi ſecundum: ſi tertium, ad omnem affectum obdureſcimus. Atqui hæc triplex veluti moles facilè euertitur. Motio enim tragica non oritur ex cognitione perſonarum, quæ fortaſſe præceſſerit; ſed ex veriſimili rerum imitatione, quæ tàm veris, quàm commentitijs perſonis cõficitur. Semper enim naturam agentium hominum poteſt poëta inſtar pictoris exprimere: nec magis in Atreo Tyranni mores, quàm in quolibet alio fictitio adumbrare. Id perſpicuum eſt in Comœdia, cuius nomina, & actiones excogitatæ nihilominus mouent. Sed Diſpar, inquies, Comœdiæ ratio eſt. quia enim res geſtas infimorum, nemo commemorat, ideò ſuſpicari poteſt auditor, An Comicæ perſonæ, actioneſq. confingantur: Regum autem nomina nemini non

Alexand. Piccol.

Ant. Riccob.

Caſtelui.

audita. Quare ſi nouum Regis nomen confingas, nemo non intelligit falſum eſſe, & à motione alienum. Debilis hæc, & infirma reſponſio eſt; exploratum quippe eſt omnibus, omnia fingi in comico poëmate. Deindè fieri ne poteſt, vt omnium qui poſt hominum memoriam vixere, regum nomina, etiam Indorum, & Iaponiorum litteris conſignata, ſutores, pictoreſquè audiuerint? At Horatius:

Lib.4. od. 9.

Vixere fortes, ante Agamenona
Multi: ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq. longa
Nocte, carent, quia vate ſacro.

Si hoc de fortibus; quanto magis de ignauis, & barbaris?

Vrgent. Non licet noua magnorũ montium, & fluminum nomina cudere: igitur neque Regum. Sed ſciant hoc dari fluminibus, regionibus, montibus, quia hiſtoricorum monimentis, & Coſmographorum iconibus referuntur omnes; quod non accidit Regibus. Inſurgunt iterum. Epopoeiæ non licet omnia fingere; id ergò cur datur Tragœdiæ? Verum multa, Epica omninò ficta eſſe quis neget? Vt eclogas. Quod ſi de Heroica ſermo ſit, vt tribuam, eam ſortiri aliquam Hiſtoriæ veri-

rita-

ritatem (quanquam multi ab illa receſſere) diſpar omninò eſt cauſa. In ea enim Regum, & Heroum virtutes reſque geſtæ laudantur: in Tragœdia non item; ſed crudelitas, & ſcelera arguuntur. Quare laudatio in veros homines conferri iure poteſt; accuſatio, execratioq. ſi vertitur in nobiles viros, in fictis fabulis non ineptè collocatur.

ADDITAMENTVM.

HÆc mitior reſponſio. Verum omninò pernegandum eſt Epopœiæ, aut alteri formæ poëſeos omnia fingere non licere. Quidam enim Epopœiam vniuerſa fingentem è poëſis albo expungunt. Sed iniuria. Nam ſicut Comœdia, tametſi omnia fingat, nihilominus germana poëſis eſt: ſic etiam cæteræ formæ poëſeos fictis commentis tanquam telis poëſim non extinguent. neque enim pugnant cum poëſi, quæ tam vera, quàm falſa, ſed veriſimilia, complectitur. Quod ſi clament, id pugnare cum Epopœiæ natura, qua ſublata, deleretur poëſis; nam corruente ſpecie concidat genus neceſſe eſt; reſpondendum eſt, id nulla iuſta ratione ſuaderi. Multa enim ficta ſunt epicis mandata carmi-

nibus:vt, eclogis res paſtoritiæ, quæ vero ac germano poemate continentur. Cur ergo, ſi à fictis paſtoribus ad illuſtriores perſonas item fictas deuenias, hic miſerè mortua, ibi proſperè viuet poëſis? Deinde proprietas, qua Epopęia poëſim ipſam peculiaris forma ſubdiuidit, haud eſt, omnia, vel aliqua ſolum confingere; ſed imitari præſtantiores modo mixto, ſine inſtrumentis rhytmo, & harmonia. Quod ſanè perfici in materia poteſt, tam ex toto, quam ex parte conficta. Idem de Tragędia dicendum. Quanuis enim Tragędiæ materiam re ipſa ſcriptori ſubminiſtret hiſtoria; liquet tamen, non peccaturum in poëticas leges, qui totam fingeret, atq. excogitaret. Id porrò ſenſiſſe ait Ariſtotelem, cuius mentem aliò detorqueri poſſe etiam negat is, qui contra ſenſit Alexander. Quem, & alterum ſi excipias, cæteri nobiſcum iudicant omnes. Si enim Flos Agathonis, in qua Tragędia nomina, & actiones fingebantur, aliæq. huiuſmodi, nihilominus delectant; quod tàm in commentitio, quàm vero argumento poëſis non quid actum ſit, ſed quid geri potuerit, exponat: ſic ex arte iudicandum eſt.

Franc Robert.
Petr. Vict.
Vincent. Mad.
Ant Riccob. c. 11. poe.
Mintur. l. 3. de poe.

Pri-

Primaria Perſonæ Tragicæ prima conditio. Cap. VII.

TRagœdiæ materiam fermè definit perſona, quæ lapſu fœlicitatis primas agit in ea partes, & Protagoniſta dicitur. Illi quinque conditiones attribuunt poëticæ Magiſtri, vel ſex; ſed duæ in vnam contrahuntur. Primò præcipiunt ἐπιφανῆ, nempe *illuſtrem eligendam, opibus, & dominatu ſublimem.* Secundò, *nec virtute præſtantem nec vitijs maculatam, mediamq. inter bonos, & malos collocandam.* Tertiò, *delapſam in errorem, qui minimũ culpa habeat, plurimum veniæ.* Quartò, *errati cauſa ex fœlicitate in miſeriam, & acerbos caſus prolabentem.* Quintò, *vnam, ac ſimplicem eſſe fingendam.* De quibus ſingillatim eſt agendum, ac primum de prima proprietate.

Caſt p.13. p.3. *Alex pan. 69.70.* *Ant. Riccob.c 16.* *Ariſt c.3. & 11.poe.* *Ari.c.11.* *Ari.c.11.* *Ari.c.11.* *Ariſt.c.6.*

Generis ſplendor ideò eſt attributus, quia infimi hominis caſus non eſt adeò miſerabilis, & horrificus, vt illuſtris. neque enim ex vltima plebe quiſpiam fœlix habetur ab hominibus, qui humanam fœlicitatem potentia, opibus, & imperio metiuntur. Quare mutatio eius fœlicitatis &

commiſerationem ingentem creat, & timorem. metuere enim quiſque in infimo medioq. ſtatu debet, quod Principes tantis fortunæ præſidijs munitos vexat in ſummo. Neque maiorũ obſcuritas obeſt, ſi adeſt præſens imperij claritudo. Quis enim dubitaret Mario ſeptimùm Conſuli ſplendorem Tragicum defuiſſe, quanquam vilibus, & obſcuris parentibus edito: cum Cimbris, ac Teutonis profligatis Heroicæ materiam dederit?

ADDITAMENTVM.

SI à Regia declinamus, quæ generis claritas Tragœdiæ ſufficit? Hanc verò deliberationem illi relinquo, qui ſciat, noſtro æuo aliter regium nomen æſtimari, ac pleriq. antiquorum æſtimarunt. Regna enim latiſſimæ nunc prouinciæ cõſtituunt, antiquis ſolæ Vrbes. Certè tot ferme Reges Græcia numerabat, quot Vrbes: cùm Oedipus, Alcmæon, Meleager, alijq. vixerunt, Tragico iam ſyrmate nobilitati. Nunc verò Duces, Marchiones, Comites, Regulos appellamus non ſolum Caſtellorum, vel Vrbium Dominos, ſed etiam Regionum. Quare hi veteres Reges non modo æquant, ſed aliquot eorum longo

inter-

interuallo ſuperant. eadem dignitas ornat Epiſcopos, & ſacros Antiſtites Tragicæ nobilitati non impares.

Secunda Protagoniſtæ conditio, qua medius inter probum, & improbum colloca-tur. Cap. VIII.

ΕΣτὶ δὲ τοιοῦτος, ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν, καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν. *Talis eſt autem, qui nec virtute, nec iuſtitia excellens, neque per vitium, & prauitatem lapſus in infœlicitatem.* Cauſa eſt, quia vt acrius conci- *Ariſt. c. 11. poet.* tentur affectus terroris, & miſericordiæ, ſeponi cætera debent, quæ affectus alios ciere poſſunt in nobis; vt, iram, inuidentiam, indignationem, odium. Diſtraheretur enim animus, nec ſe toto in timorem, & commiſerationem incumberet: & alijs vehementer commotis, omnem ſenſum terroris, & miſericordiæ amitteret. In ijs ergo, qui ex fœlicibus infœlices facti ſunt, triplex ordo eſſe poteſt, proborum, improborum, mediorum. Bonorum damnatio & ſupplicium, ſcele-

re

re agentis, ſpectantium indignatione atque iracundia potiùs, quàm timore miſcetur. Improborum infortunia vix ſuſcitant ſenſum humanitatis, & procul abſunt à miſericordia. Debet igitur nec virtute præſtare, nec vitio deprauari, qui regia poteſtate deiectus regnum habet in Tragœdia. Sic enim in ſua calamitate vacuum cæteris motibus animum ſpectatoris miſericordia, metuq. celerrimè occupabit.

Atqui hæc mediocritas bonitatis vulgari quadam opinione, qua putamus quoſdam nec vitio malos admodum eſſe, nec virtute bonos, æſtimanda eſt. Quanuis enim nihil medium inter vitium, virtutemq. ſit; habita tamen ratione publicæ exiſtimationis, & famæ, poteſt eſſe. Hęc enim ex genere vitæ, quod quiſque profitetur maximè pendet: vt quanuis aliquis occulto vitio ſit obſtrictus, nihilominus virtutis præ ſe ſpeciem aliquando ferat. Alius recondita virtute ornatus varias ob cauſas, vitiorum poteſt infamiam incurrere. Neque verò hac populari æſtimatione ſtatim improbus habetur, qui ſepta virtutis egreditur; ſed longè in vitioſitatem ferri debet, qui flagitioſus ac per-

d'tus

ditus vulgo proclamatur. Sicut contrà non continuò bonus pronunciatur, qui honeſtum aliquid cum laude fecerit; ſed ad publicam commendationem exaggeratæ virtutis neceſſe eſt, ſtudium probitatis longa exercitatione, & aſſiduitate beneficiendi inueteratum oſtendere. Qui ergo inter hos fines ſpatium quodammodo interiectum occupant, mediocres, medii & noſtri ſimiles eadem populari opinione ſunt. & multa ijs facere probè, vel improbè permittit populus, antequam de hac mediocritatis poſſeſſione decedant. In his cenſetur Protagoniſta tragicus, pronior tamen in virtutem, & probitatem, quàm vitium. In hoc hominum genere reponit ſeſe Horatius.

Sat. 4. lib. 1.

——— Ex hoc ego ſanus ab illis
Perniciem quæcunque ferunt, mediocribus, & queis
Ignoſcas, vitijs teneor, fortaſſis & iſtinc.
Largiter abſtulerit, lõga ætas, liber amicus,
Conſilium proprium.

An

An Protagoniſtæ mediocritas inſignem probitatem excludat è Tragœdia.
Cap. IX.

BIpartita hæc queſtio eſt. Nam primò querendum de quocunque viro pio, proboque: an ſi cætera adſint, ſyrmate tragico ſit veſtiendus: deinde de ſanctis Martyribus fidei cauſa interfectis.

Quod ad primum caput ſpectat; vt verè certèq. de illo, & mox de poſteriore ſtatuatur, videndum eſt, an repreſentata nece viri probi, ſuum finem aſſequatur Tragœdia, afferendo miſericordiam, & timorem, quod videtur inficiari Ariſtoteles: ideòq. ἐπιεικεῖς ἄνδρας ſemouet è mortifera ſcena. οὐ γὰρ φοβερὸν, οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν. *non enim terribile, aut miſerabile hoc, ſed ſceleſtum eſt*. Verum hiſce verbis, vt optimi interpretes docent, non ſignificatur ab actione illa ſcenica metum, & miſericordiam abeſse, ſed ſcelus redundare, quo illi motus minuantur. Etenim nonne horrifica eſt actio, in qua ſupplicium, & mors acerbiſſima infligitur?

Vincent. Madius. Alex. Piccol.

Ad

Ad hæc Miſericordia reſpicit alterius malum *ἀναξίου, indigni, & immerentis*. Vir autem bonus illo cruciatu eſt indigniſsimus. Et cum homines miſereat eorum, quorum miſeriam ſecum, & ſuis cũ fortunis implicitam vident: quo malo torqueri virum iuſtum aſpiciunt, multo iuſtius illo ſe torquendos arbitrantur.

Ariſt par. 67. poet. 2. Rhetor.

Neque vero continuo damnatur Tragœdia, alia præter metum, & miſericordiam motione ſubeunte. Multa enim ex antiquis numerantur, quæ iram, & indignationem pariunt. Quis enim Phædræ in Hippolyto, Medeę apud Euripidem, Oreſti in Electra apud Sophoclem, Atreo in Thyeſte non iraſcitur? Et in cæteris omnibus ſeruorum, amicorum, conſanguineorum facinoroſa proditione, ac dolo, vel iniqui Iudicis crudelitate, ira & odiũ excitatur. Debent ergo, vt damnetur Tragœdia, eius proprij affectus alienis deleri, & obrui; quod in omni piorum cæde non accidit. Poteſt enim aliquando iudex cognita hominis innocentia coactus, & nolens infligere ſupplicium; vt feciſſe Darium regem legimus in ſacris paginis, cum Danielem leonibus tradi iuſſit inuitus. Quare Ariſtoteles paulo poſt

de

de Protagoniſta, quem in mediocritate conſtituerat ſic ait: *ἢ οἷου εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον ἢ χείρονος. Vel qualis dictum eſt, vel melioris potius, quàm deterioris.* Si enim haberi in mediocritate illa non poteſt, è bonis eligendus eſt.

At quid dicendum de Martyribus, ſi adſit ſplendor generis? &c. Hìc non ita metus, & miſericordia apparet. Neque enim illi tormenta, mortemq. timuerunt, neque in re miſera, & acerba verſari ſe, ſed iucunda dicebant. Quare contrà quàm fieri ſoleat, ſeponitur ab iiſdem odium, ac fuga imminentis mali; immò expetitur, & quæritur vltimum horribilium, mors. Quò fit, vt auditor haurire timorem ex non metuente haud facilè queat, aut miſerari lætantem in cruciatibus: eumq. vel in equuleo, æneoq. tauro beatum prædicet ob certam ſpem futuræ beatitudinis. Contrà verò quia crudeles olim Cæſares, ac reges, vnà cum fortiſſimis propugnatoribus religionem nondum adultam conabantur extinguere; in illos vehementer exardeſcimus, & alienis affectibus perturbamur. Hæc ſunt quæ obſtare videntur, ne eiuſmodi actiones tragicæ dicantur.

Ve-

Digitized by Google

Verum alia ex parte ſi metus vnquam repurgatur, tunc maximè mitigari neceſſe eſt, vbi diſcitur exemplo, quod olim docuerat ſeculorum Rex: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Itaque obfirmatur animus aduerſus omnes machinas improborum; ſi quidem in nos ad violandam diuinam legem intendantur. Quo fructu moderandi animæ terrores nullus maior elici poteſt è Tragœdia. Eodemquè modo mitigatur miſericordia. quia ſummi cruciatus, & miſeria (ſi ſtatus naturalis hominis conſideretur) digna non habentur commiſeratione propter eximiam perferentis charitatem, & appropinquantem beatitudinem. Ideoq. ſiquid eiuſmodi nobis deinde acciderit, non miſerum, & acerbum, ſed expetendum & iucundum iudicabitur. *Matt. 10.*

Quare, etſi metum non excitat, qui torquetur, quia ipſe non metuit; nec miſericordiam qui malo, ac miſeria creditur paciſci beatitudinem; efficit tamen, vt finis Tragœdiæ, qui eſt timoris, & miſericordiæ repurgatio, certiſſimus & optimus conſequatur.

Accedit, quòd metus in Tragœdijs non

tàm oritur à metuente ſupplicium, quàm ab eodem ſupplicio metuendo, & horrifico. ſæpè enim vocati ſunt in ſcenam, qui naturali conſtantia, vel gloriæ cupiditate, vel alia de cauſa mortem nō timent. vt Alceſtis apud Euripidem: Aiax apud Sophoclem, Hercules, & alij, qui ſuo exemplo metum non excitant; quem tamen dolor, & acerba mors poteſt incutere. Iam verò in re noſtra, ſi metus non oritur à tolerantibus; motus tamen animi in ſpectatore fit ab horribili ſpecie tormentorum. His enim quia cruciantur, necanturq. immerentia corpora, naturaliter commouemur. Nam ſicuti cùm eiuſmodi ſupplicia inferebantur, multi, qui aderant, quanuis lætos in tormentis, nulloq. timore perculſos ſanctos viros aſpicerent, tamen ſupplicij metu fidem turpiter proijciebant: ita eorundem ſuppliciorum repreſentatio commouere poteſt intuentes. In quo apparet manifeſta perturbationum repurgatio. Nam vna ex parte horrifici mali aſpectus eſt auctor timoris: ex altera vero conſtans, & charitate roborata fortitudo cruciatum perferentis non timendum docet. Itaque nihil alienum conficitur à Tragœdia.

AD-

ADDITAMENTVM.

QVidam aiunt Tragico ſupplicio boni viri, homines prauam de Deo cōcipere opinionem. Quod ſignificet illa vox τὸ μιαρὸν perinde ac velit Ariſtoteles iuſti viri exitio, homines Deo iraſci, & in eum commoueri. Quid autem tale docuit, aut indicauit eo loco Philoſophus? nam τὸ μιαρὸν ſanguine, ac cæde pollutum, fœdum, ſceleſtum, ac deteſtandum ſonat: & Demoſtheni μιαρὰ κεφαλὴ, idem quod latinis *ſceleſtum caput*. Noſtris vero hominibus in eo ſpectaculo periculum prauæ opinionis ingenerari non poteſt; qui à pueris didicerunt omnia Dei prouidentia diſponi, ac regi, & cuncta ſiue bona, ſiue mala de manu Domini ſuſcipienda. Talis verò generis Tragœdiæ apud Euripidem ſunt Alceſtis, & Hippolytus; hic enim quod caſtimoniam coleret: illa vt viro vitam prorogaret, mortua eſt.

Robortell. Caſteluitr. Qui bonos non excludit.

Præterea legimus, & laudamus Herculem in Trachinijs apud Sophoclem: eundemq. Oetæum apud Senecam, quem pyra incenſa dicitur nubes cum tonitru in cœlum euexiſſe. Itaque poſt mortem

opinione veterum ſequuta fęlicitas eſt; nec tamen bonitatem Tragœdiæ imminuit: ideoq. Hercules prohibet luctum in funere ſuo:

Sophocles. —— γόου δὲ μηδὲν εἰσίτω δάκρυ,
ἀλλ' ἀστένακτος καὶ δάκρυτος ἔρξον.
——*Luctum nulla intret lacryma,*
Sed non lugens, & illacrymabilis fac:
Hyllum alloquens. Et paulò poſt:
———— παῦλά τοι κακῶν
αὕτη τελευτὴ τοῦδε τἀνδρὸς ὑστάτη.
Requies malorum, hæc finis hominis vltima.

Sed clarius Seneca, apud quem Hercules iam inter Diuos:

Quid me tenentem regna ſyderei poli,
Cœloq; tandem redditum planctu iubes
Sentire fatum? parce, nam virtus mihi
In aſtra & ipſos fecit ad ſuperos iter.

Et paulò poſt:

Præſens ab aſtris, mater, Alcides cano.

Quod ſi nos hæc ad inuictos martyres traducere iure poſſumus, cum Sophoclis, & Senecæ Tragœdias commendarit antiquitas, cur & nobis noſtras probare non licet, & Tragœdias nominare? Euripidis etiam Heraclidæ ſimile exemplum eſt. Ibi enim Macaria virgo ſe morti, & ſacri-

ſacrificio vltro obtulit, vt vincerentur hoſtes, & læta dicebat:

Θνήσκειν ἕτοιμα καὶ παρίστασθαι σφαγῇ, Euripides.
ἡγεῖσθαι ὅπου δεῖ σῶμα καρθανεῖν τόδε,
καὶ στεμματοῦτε.
Mori parata ſum, & præberi iugulationi,
Ducite, vbi oportet corpus hoc occidere,
Et coronate. Ac deinde:
εὕρημα γάρ τοι μὴ φιλοψυχοῦσ᾽ ἐγὼ
κάλλιστον εὕρηκα εὐκλεῶν λιπεῖν βίον.
Conſilium enim, non amans ego vita
Pulcherrimum inueni,glorioſam relinquere vitam.

Quare eam honoratiſſimam appellant: & viuenti cultum, & mortuæ ſpondent.

Ex his iudico facile dilui poſſe, quæ primo loco proponebam. Poteſt enim oriri perturbatio à ſupplicio, ſi minus à tolerante, à quo in promptu repurgatio eſt. Neque obſtant alij affectus, ſi forte in Tyrannos concitantur, quos tamen ſcriptor poteſt vel minuere, vel amouere. Poſſunt enim ſimul eſſe cum tragicis; quãnis tàm ex hoc capite, quàm ex conſtantia & hilaritate perferentis, poëma non impleat omnes numeros perfectæ Tragœdiæ.

An Improbos, ac nefarios imitetur Tragœdia. Cap. X.

PRobis non reiectis, videndum de improbis, quos ſanè reijcit Ariſtoteles: quòd iſtorum aduerſa fortuna non habet ἔλεον, οὔτε φόβον, *miſericordiam, neque timorem*. Non miſericordiam, quia qui pęna digni ſunt, ſupplicium ſibi meritò perpererunt: Non timorem, quia pœnas ſcelerum vindices non timet auditor, niſi ijſdem ſit ſceleribus obſtrictus. Itaque ſe diſſimilem videt; cum tamen à ſimili conditione vel naturæ, vel morum, vel ſtatus incutiatur metus, altero tolerante. Neque enim ſi pauper fame conſumitur, metuit diues; ſed is, quem ſimilis egeſtas vrget. Quod ſi miſeria, & ſupplicia impiorum ſuapte natura videntur habere vim ad permouendum, ea non eſt commiſeratio, ſed φιλανθρωπία, *humanitas*, ſeu communis quędam hominum affectio, ac ſenſus humanitatis ex ſocietate, eademq́. natura expreſſus, qui latiùs quàm miſericordia peruagatur; eoque etiam in hoſtium, & inimicorum calamitate afficimur.

In poet. p. 67.

Ariſt. ib.

Tra-

Tertia conditio, ſiue Error Perſonæ Tragicæ. Cap. II.

QVoniam Protagoniſta labitur in infęlicitatem non labi per prauitatem, debet, ſed δὶ ἁμαρτίαν τινὰ *per errorem aliquem*, vel, præcipiente Ariſtotele δὶ ἁμαρτίαν μεγάλιν *per errorem magnum*. Eſt autem ἁμαρτάνειν nō modo peccare, & ſcelera facere, ſed falli, hallucinari, & à recto, rectaq. via aberrare: nec ſolum refertur ad voluntatis lapſum, ſed etiã erratum intelligendi. ſic Philoſophus in Ethicis ἀμάρτημα diſtinguit ab iniuſto. & alibi docet eſſe quod ſine improbitate committitur: vt ſonat & latinis error. Ouidius.

In poet. p. 68. part. 69.

Lib. 5. 1. Rhet.

Nec ſcelus inuenies; quod enim ſcelus error habebat? Idem.

3. Metam. eleg. 10. l. 4. Triſt.

Errorem iuſſa non ſcelus eſſe fuga.

Cicero: ***Etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, à ſcelere certè liberati ſumus.*** Idem ἁμαρτία eſt. Error itaque de animo fermè dicitur, qui falſa opinatur, errat intelligendo, & in fraudem agitur: rerumq. inſcientiæ, atque ignorantiæ adnectitur, rariore ſignificatione ſceleris.

Pro Marc.

Error Tragicus. Error ergò Tragicus talis ſit, vt eum, qui errat, liberet à prauitate, ideſt, vt ne ex illo improbus videatur, ac perditus: ſed potius humano quodam impetu actus aut deceptus in crimen labi: denique ſit error non tàm facti, quàm mentis. quod ſi non ignarus aliquis fecerit; ſubitam, vehementiq. perturbatione iræ, odij, amoris faciat. improuiſa enim illa peccandi deliberatio nonnihil excuſat, & lapſum venia dignum reddit, ac demum ab inſigni prauitate labentem liberat.

Sed multo aptius erratur in Tragœdia, ſi quod fit, fiat ab inuito, & maioris mali metu, vel inſcientèr, & per ignorantiam rerum. Qui propter metum agit, etſi agere nollet, quia tamen ſciens, volenſq. alterutram partem faciendam eligit, ſi malè agit, non excuſatur à culpa: ſed illi nonnunquam propter errati leuitatem ignoſcitur. *Ariſtot. 3. Eth. c. 1.* Imperat Procuſtes aliquis iniuſtè occidi à filio Patrem; fore incolumem ſi perimat; niſi occidat, periturum. Hic filium reuocat à facinore parentis amor, & immanitas parricidij: incitat vitæ deſiderium, & quod, ſi huiuſmodi neceſſitatem excipias, nunquam vellet, vult ex patris morte viuere. Actio quidem mala eſt,

minus

minus tamen recedit à pietate hic filius, quam ille, qui ſtricto gladio ſua ſponte iugulum paternum petit. Contrà poteſt accidere, vt aliquis promulgata ſupplicij lege, iuſta, & honeſta fieri prohibeat; ideoq. vel non fiant, vel fiant cum periculo vitæ. Sic Creon Thebanorum Rex propoſita mortis pęna vetuit ſepeliri cadauer Polynicis; quod tamen ſoror Antigone funeratum ſepeliuit. Quando ergò vel mala fiunt, vel bona omittuntur ex metu: vel aduerſus iniuſta mandata cum fortunarum,ac vitæ periculo agitur,ideoquè hominem pęna conſequitur;ab vtroq. iuſta commiſeratio promanabit.. *Soph. in Antigone.*

Meliorem hac erròris materiam afferet, rei quæ fit ignorantia (hic autem de illa ſermo eſt, quæ vitio verti non poteſt) porro hæc duplex: Aut enim neſcimus quid æquum ſit, & iubeat lex: aut quod agimus, decepti boni ſpecie ignoramus. Illa iuris, hæc facti dicitur ignorantia. Sic Oedipus ſciebat parricidium eſſe, patrem occidere; patrem tamen interemit. Sed neſciebat Laium eſſe patrem: perſonæ ignorantia excuſat à parricidio. Neſcit alius lege prohiberi gladios: ferentes multari capite. Eſt cum telo, vt arceat inimi-

cum; capitur, damnatur. Supplicium commiſeratione dignum eſt, quia Iuris ignorantia hominem culpa liberauerat. Hi quidem errores maximè Protagoniſtam decent; ſi præſertim deuitare contendat facinus, vt conabatur Oedipus, & in fuga maximè illi appropinquet. Cum enim ex eo calamitas deducatur; perſpicuum eſt hominem miſerabilia, & iniuſta pati.

ADDITAMENTVM.

PAucas huiuſmodi perſonas numeramus in priſcis Tragedijs; immo nefarias, ac ſceleſtas: Thyeſtem, Ægiſtum, Clytemneſtram, Oreſtem; quos in exemplum vocat Ariſtoteles. Ex quibus ſi perſonam Oedipodis ex Sophocle demas, vix aliam redigas ad normam mediocritatis. Cur igitur vel Ariſtoteles aliud præceptis, aliud exemplis eſt complexus: vel nos cum illo inutiles leges Tragœdis imponimus? Verum lex iniuſta non imponitur, cum in tradendo poëmatis artificio præſtantiſſimum fingendi genus, & integræ, abſolutæq. perſonæ figura lineatur. Exempla quidem præceptis ſemper reſpondere neceſſe non eſt; ex ijs enim Tragœdijs petuntur, quæ erant in omnium

Robortell. *Caſtelu. p. 9. p. 3.* *Robort. p. 98.* *Alex. Pic. Vincent. Madius.*

nium Græcorum oculis,& manu. Potuitq. optimus inſtitutor ex vnaquaq. Tragœdia quid optimum eſſet aſſumere, & poëmatis formam auguſtiſſimam tradere; qualem aſſequi poſtea difficilè ſit. Quemadmodum oratorem à Tullio deſcriptum animo concipere, loquentem audire non poſſumus.

Exiſtimatum errorem Protagoniſtæ ſufficere in Tragœdia, nec eidem ſemper tribuendum. Cap. XII.

NOndum profligata videtur controuerſia; nam nullus error ſæpè apparet in Tragœdijs. igitur non imperandus. *Caſtelu. p. 3. parti. 13.* Quid enim peccat Hippolytus apud Euripidem, & Senecam? Filij Herculis, aut Thyeſtæ, aut Medeæ? Alceſtis, Macaria, Iphigenia, Polyxena, & alij? Quem nodum vt ſoluam, aio non ſemper errari in ipſa Tragœdia, ſed errorem interdum præcedere. Sic in Thyeſte agitur. hic enim antea peccauerat, & ſolum dedit pęnas in Tragœdia. Sic in Electra Sophoclis, occiditur Clytemneſtra, quæ anteà

grauia

grauia ſcelera fecerat. quanuis autem antè peccetur; tamen in Tragœdia errata memorantur, & intelligit auditor quam ob cauſam puniatur reus. Quod ſi nullus error præceſſit, in actione Tragica duo poſſunt contingere. Primum, vt putetur peccaſſe qui plectitur. tunc autem verè errat qui punit: exiſtimatur erraſſe qui punitur. Quomodo apud Euripidem Hippolytus, & qui eius veſtigijs inſtitit, Bernardini Stephonij Criſpus occiduntur. Ibi enim verè errant Phædra, & Theſeus: hic Fauſta, & Conſtantinus; fœminæ, quia ſceleratè mentiendo accuſant: viri, quia decepti credunt liberos peccaſſe, qui innocentes victimæ caſtimoniæ necantur. Hæc fabulæ textura magnam commiſerationem parit, quòd magna eſt iudicum deceptio, & mentis error, quem flebili lamentatione poſtremò recognoſcunt. Crudelitas abeſt, ſi tenere ſe crimen, & iuſtam habere cauſam mactandi putant; quam tamen non habent, quia facti ignorantia falluntur; denique inuiti faciunt, quod iuſtitia faciendum ſuadet. Itaque à præcipiti imperio ſcelus, damnatum Ariſtoteli, longè recedit; quanuis è præſtantium ordine ſint qui occiduntur.

Alte-

Altero modo Protagoniſtæ putantur nocentes ſcelere alterius, & affici facinore patris, & aliorum conſanguineorum. Quod nouum non eſt in ciuitatum, rerumq. publicarum adminiſtratione, in quibus patrum, maiorumq̃ pœna poſteros peruadit. ſic Thyeſtæ, & Iaſonis liberi occiduntur. Vel dicas in vltionem trucidari, vt pęna repetatur à parentibus. quomodo Herculis filios à patre necari curauit Iuno, quem in ſe ipſam nimium peccaſſe iactabat. Itaque infęlicitas verè parentum eſt: illi queruntur, & lamentantur. Vel putes errare Medeam, Atreum, Oreſtem, quia falsò putant ſibi licere quod faciunt. Sic enim ratiocinabatur Oreſtes: Clytemneſtra virum Agamemnonem patrem meũ occidit; Igitur & ipſa occidenda eſt. Tum infert: Ego igitur occidam. ſed hic Oreſtes errat. Sic Medea: plectendus eſt qui coniugij fidem violauit: talis eſt meus Iaſon: igitur puniendus. Quid tum? Det mihi pęnas, quas liberorum nece ſceri patris pares iudico. Necabo igitur filios coram patre. Iam toto aberrat cœlo venefica; apparet tamen deceptio mentis. Qui error minus quàm cæteri mihi probatur.

Franc. Bonamicus. colloq. 7.

tur.

tur. Et aduerſus hæc, inuenta Caſteluitri planè ſunt vitrea.

ADDITAMENTVM.

SEd Ariſtoteles errorem Tragœdiæ videtur collocare in Protagoniſta; ait enim ſequi infœlicitatem tragicam δι' ἁμαρτίαν μεγάλην, ἢ οἵου εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον, ἢ χείρονος. *propter erratum magnum, vel qualis dictum eſt, vel melioris potius, quàm peioris*, perſpicuum eſt autem ibi loqui de primaria perſona. Iuſta dubitatio. ſed tamen Philoſophus ibi quod optimum eſt præcipit, traditquè perfectiſſimam Tragędiæ formam, quæ Protagoniſtæ venia dignum errorem ſibi adiunxit. Cũ deindè exempla attulit, poëtas non improbauit, qui errores, & perſonas à ſua diſcrepantes, ac ſceleſtas effinxerant; Alcmæonem, Oreſtem, qui Matres occiderunt, poſtea actos in inſaniam: Thyeſtem, qui in fratrem Atreum grauiter peccarat: Meleagrum, qui tres fratres matris occiderat. demum vt oſtendat non ſemper errare protagoniſtas, ait: καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ, ἢ ποιῆσαι. *& quibuſcunque alijs contigit, vel*

In poet. p. 69. ſeu c. 11.

gra-

grauia pati, vel facere. Hi enim apti Tragędiæ ſunt; & aliquo modo, ſaltem opinione alterius peccabit Protagoniſta, niſi ſit è præſtantioribus; inter quos Iphigeniam, & Polyxenam, & Antigonem numerabis cum Octauia Senecæ, & aliјs huiuſmodi. *Cap. 9.*

Quarta Protagoniſtæ conditio, ſeu permutatio fœlicitatis. *Cap. XIII.*

LApſus Protagoniſtæ, eſt ἐξ ἐυτυχίας εἰς δυςυχίαν. *ex fœlicitate in miſeriam.* Fœlicitas eſt bonorum corporis, fortunæ, animi: vt, valetudo, opes, dominatus conſanguinei, liberi, libertas, vita, & ipſe rationis vſus. His priuari præſertim immerentem cum dolore, cruciatuq. infœlicitas eſt. Accidit autem fœlicitatis cataſtropha non caſu, ſed certis, connexiſq. inter ſe cauſis ab errore tragico tanquam fonte deductis. Itaque Mitiј ſtatua, quæ fortè collapſa eiuſdem Mitiј interfectorem propè ſpectantem oppreſſit, tragico poëtæ argumentum non daręt; quod intempeſtiua illa mors ex agen- *Ariſt par. 57. ſeu c. 8.*

tis

tis propoſito minimè accidit.

His reiectis, in conuerſione fortunæ affligentes, afflictæq. perſonæ, cauſæque torquendi ac tolerandi ſpectandæ ſunt: quarum conditione maior, minorque fit metus, & miſericordia. Eorum, qui errantem patientemq. vexant, cruciant, occidunt, triplex ordo eſt. Aut enim ſunt hoſtes, aut amici, aut neutri. Si hoſtis, aut neque amicus, neque inimicus dolorē infert, occiditque; commiſerationi res parum idonea eſt. Quanuis enim motu perturbare ſpectantem poſſit, ſaltem propter ſenſum inditum humanitatis; tame[n] cauſa mortis horrorem non habet. Facinus enim commendatur, ſi hoſtis hoſte[m] perimat. Eademq. facti cauſa in eo, qu[i] neque amicus, neque inimicus eſt, paul[o] plus virium habet ad perturbandum. Omnis ergo ratio commiſerationis, & horroris ab agente profecta, amicorum eſt, a[c] neceſſariorum: vt, cùm pater filium, au[t] mater, aut frater fratrem occidit.

Ariſt. c. 11. ſeu partic. 74.

Medius. Bienſem.

Iam vero hi vel ad cauſam agendi, ve[l] ad perſonam in quam agunt, referuntur. Si ad cauſam referas: qui iniuſtam operandi cauſam habet, & agnoſcit iniuſtam negotio tragico eſt ineptus. præ ſe quippe

pe crudelitatem fert, & inimicam miſericordiæ barbariam: neque timorem incutit; cùm ſpectatorum nemo ſe iniuſta facturum in alios putet. Talis eſſet Tarquinius Superbus, & Tullia vxor, quorum ſcelere Seruius Rex Tulliæ pater, Tarquinij ſocer trucidatus eſt: carpento inſuper filiæ per patris cadauer acto. quanquam id nobilis hiſtorici præiudicio Tragicæ imitationi par ſit; modò cædis atrocitate, non poëtico iure penſitetur. *Liu lib.* 1.
Secundò: qui iuſta ad agendum cauſa impellitur, Tragœdiæ aptus eſt; minus tamen mouet, quàm qui cauſam iniuſtam habet, ſed ignorat iniuſtam. Talis Romæ fuit Coſ. Brutus, qui liberos ſecuri percuſſit, quod in patriam coniuraſſent. & Manlius Torquatus, qui filium, quod ſuo iniuſſu hoſtem occidiſſet, occidit. *Liu. lib.* 2. *& 8.*
Tertiò: qui errore mentis agunt, & cauſam facti non agnoſcunt decepti, putanteſq. ſe iuſta facere, multo miſerabiliores ſunt: vt Theſeus, Hercules, alij. Quò reuocantur, qui errante inſtrumento horrificum aliquid efficiunt: vt Achilles, qui emiſſo in feram iaculo amicum Euritionem occidit. Et hi cauſam deinde agnoſcunt, & lamentantur.

Si

Si vero ad perſonam tolerantem ijdem, qui cruciant, referantur; vel eam agnoſcunt, vel ignorant. Si agnoſcunt, & facinus aggrediuntur, nec perficiunt, tragicum non eſt; cum perturbationis ſit expers, particeps verò ſceleris. Talis Aemo in Antigone Sophoclis, qui cum ad tumulum Antigones veniſſet, in faciem patris Creontis reuocantis deſpuit, eumq. educto gladio occidere voluit, ſed illo ictum declinante ſe ipſum confodit. Secundò: ſi ſe mutuo agnoſcentes cædem aggrediuntur, ac perficiunt, vt matrem Oreſtes, Medea filios, nihil ſit alienum à Tragœdia; ſed cauendum eſt, ne nimia crudelitas cum vita miſericordiam auferat. Tertio: ſi agens neceſſitudinem ignorat, & patrata per imprudentiam cæde perſonam agnoſcit, nihil miſerabilius; præſertim ſi ad agnitionem perſonæ facti accedat agnitio; vt nimirum factum teneat, quód ante ignorabat, & videat cauſam cædis iniuſtam, quam ante iuſtam putabat. In hoc genere Oedipus eſt, & Hercules furens. Quartò: ſi ſe mutuo ignorant, & alter alterum necaturus eſt, ſuperueniente agnitione, ceſſat actio, nec occiditur occidendus; eſſet enim cædes plena ſcelere.

Ariſt. c. 11. poet. ſeu part. 76.

Victorius.

lere. Sic Merope mater Creſphontem filium ex ignoratione occiſura, agnitum cum lætitia ſuſcepit: & Iphigenia Oreſtem fratrem. Quod genus optimum dicitur ab Ariſtotele, deq. eo paulo poſt, Hæc in agente ad mutationem fortunæ conſiderantur.

Par tolerantium perſonarum conſideratio eſt. Hæ enim vel morte puniri meruerunt: vel nihil omnino ſupplicij meritæ ſunt. Si meruerunt, vt Thyeſtes, minus habet timoris, & miſericordiæ illarum caſus; quæ tamen augetur, ſi culpa agnoſcitur, ſi fortiter, promptèq. pœna ſubitur, ſi damnanti ignoſcitur. Si autem pœna indignæ ſunt, vt filij Thyeſtæ, maior concitatur motus. Si non modò indignæ, ſed præmio & commendatione ſunt dignæ, vt Hippolytus, & Criſpus; creſcit miſericordia. Sed curandum eſt, ne verſa in punientis crudelitatem ira, odioq. minuatur. Demum omnium optima conſtitutio eſt, ſi pœna affectus meruit, ſed errato venia digno, quod cùm cauere omnino vellet, imprudenter commiſit: tantoq. illi propior eſt factus, quanto longiùs recedere ſtudebat. Talis fuit Oedipus, qui ne patrem occideret, ne matri

nuberet, exulem ſponte ſe fecit; & in exilio patrem necauit, matri nupſit: in conuerſione fortunæ cuncta agniturus. Quæ ſane veterum Tragœdiarum regina eſt.

An exitum fœlicem Tragœdia excludat. Cap. XIV.

INclinatio fortunæ tendit ad timorem, miſericordiamq. parandam, qui finis Tragœdiæ cuncta in poëmate moderatur. Atqui longe ab hoc fine videtur abeſſe quartum illud genus tragicæ texturæ: cùm pœnam ab altero ſuſcepturus, facta perſonarum agnitione, opes cum lætitia, vel regnum accipit. Quod cum poſtremò

Partic. 76. ſen c. 11.

enumeraſſet, κράτιςων δὲ τὸ τελευταῖον. nuncupat Ariſtoteles. Quomodo vero præſtantiſſimum, & optimum, ſi expers timoris, & miſericordiæ inſtar rei comicæ gaudium parit? Exemplum id probat. Meſſeniorum Regina Merope Creſphontem filium à Polyphontis gladio, qui patrem, alioſq. liberos occiderat, ſeruatum clam mittit in Ætoliam, propoſitis à Polyphonte præmijs, qui profugum occidiſſent. Creſphon adultus vt ſuorum necem vlci-

vlciſceretur ad Polyphontem ignotus redit, ſeſeq. Creſphontis occiſorem profitetur. Interim dum res in aperto fieret, in aula regia obdormiens à Merope matre tanquam filij obtruncator tantum non peremptus eſt: mox agnitus, receptusq. Polyphontem interemit.

Verùm in hoc genere Tragœdiarum, obſeruandum eſt non mutari poëtæ conſilium, finemq. poëmatis; vt ſcilicet per mutationem fœlicitatis terror, & miſericordia concitetur. quò tendit ſeries rerum, dolor, & lamentatio perſonarum. Sed quoniam diritas tragica nimis fortè perturbabat, hodieq. perturbat auditores, qui impedita, ſublataq. vulnerum, mortisq. acerbitate, vellent ab animi moleſtia recreari; ideò iucundiores exitus excogitarunt poëtæ, nec alienos à Tragœdia, & voluntatibus hominum deteſtantium cædem ac ſanguinem, accommodatos. Imminentis autem mali diſcrimen, & priorem necis apparatum cõmiſerationi ſufficere perſpicuum eſt. Nam ſi in eo Tragœdiam poëta terminaſſet, feciſſe ſatis diceretur perſonæ infœlicitati, & auditorum terrori. Quod Meropis exemplum confirmat. *Quæ*, auctore Plu-

Alex. Piccol. part. 46 poet. Ant. Riccob. c. 26.

L 2 tar-

Orat 2. de eſu car. tarcho, *cùm ſublata ſecuri filium, quem filij percuſſorem eſſe putat, eſt percuſſura; quantum in theatro excitat motum intentorum cædi, ac metuentium ne ſenem anteuertat inhibentem, adoleſcentemq; feriat?* Satis ergo timet, ac miſeratur auditor, nec ſolum ex actione illa poſtrema, ſed ex ijs quæ præceſſerant, eoq. deducebant. Quod ſi infecta cædes eſt, non tamen Tragœdia tendit ad lætitiam, ſed infœlicitatem non vltimò terminatam. Ideò licebit animaduertere, in huiuſmodi Tragœdijs facta agnitione, cùm atrociſſimũ eſſet vltra in vulnera & cædem progredi, gaudij modica ſignificatione actionẽ abſolui. Sic enim Iphigeniam in Aulide, & in Tauris terminauit Euripides; cùm ibi eſſet ipſa occidenda: hìc occiſura Oreſtem fratrem, vtrobique re infecta. In Hercule Oetæo quis præter illum inter ſydera iam receptum, gaudet? Itaque ideò videtur Inſtitutor hoc tragicæ camœnæ genus cæteris prætuliſſe, quòd preter communem Tragediæ finem includit id, quod præſertim placet auditoribus: nempe aliquod leuamen doloris. Vt enim demittuntur animi terribilium aſpectu rerum: ſic iiſdem ſublatis recreantur; &

omnes

omnes expetunt, vt atrox facinus rerum & perſonarum ignoratione conflatum, quoquomodo deſinat fœliciorem in exitum.

ADDITAMENTVM.

HViuſmodi Tragœdiæ forma longiſſimè diſtat à Comœdia. Hæc enim omnia ad riſum, & lætitiam: illa ad luctum, & ruinam dirigit. Neque verò ſecum pugnat Philoſophus, qui antè docuerat pulcherrima in Tragœdia grauia perpetrari, ac perferri. Nam & hoc tragico genere grauia perpetrantur, ac perferuntur, ſed in fine dolor, & acerbitas remittitur. Quod ſi damnata eſt à nobis fabula, in qua perſonæ aggrediuntur facinus, & non perficiunt: damnata eſt actio, ſe mutuò, ſemperq. agnoſcentium perſonarum. In ea enim permutare rem inchoatam, tragicum non eſt: & velle perficere ſceleratum. Hìc vero atrocitatem facti, quam adduxerat perſonæ ignoratio, agnitio tam perſonæ quam facti expungit ad voluntatem auditorum. Perſonæ igitur ſe agnoſcentes perficiant quod inceperunt: non agnoſcentes, ſi aggrediuntur facinus, poſt agnitionem relinquant. Quàm

enim ferum fuiſſet, ſi Merope agnitum filium obtruncaſſet? Nam cauſa, ob quam cædere voluerat, filij mors erat: quæ deſijt, comperto, filium viuere, & ſecum eſſe Neque ſiquis contrà ſentiat quidquam firmius afferre ſe putet,

Vt Caſtelu. par. 3 partic. 14.

Simplicem debere eſſe Protagoniſtam, quæ vltima Proprietas eſt. Cap. XV.

SImplicitas perſonæ Tragicæ ſignificat non debere diſpares perſonas, ac diſſimiles rerum euentus eadem fabula comprehendi; quod in veteribus poëtis reprehendit Ariſtoteles. Fingebant enim in eadem Tragœdia vnum ex miſeria ad fęlicitatem, alterum ex fœlicitate ad miſeriam deuenire. quæ duplex fabulæ conſtitutio reijcitur, cùm è proſperis initijs ad acerbum exitum tendat Tragœdia, vt ſuum finem aſſequatur. *ἀνάγκη τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον ἁπλοῦν εἶναι μᾶλλον, ἢ διπλοῦν. Neceſſe eſt benè ſe habentē fabulā ſimplicem potius eſſe, quā duplicem, καὶ μεταβάλλειν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν. & tranſire ex ſælicitate in miſeriam.*

Cap. II. poet.

Ne-

Neque verò ſimplicitas perſonæ primariæ multiplicitatem negotiorum in re eadem excludit, cum varij varia, ad ſuum quiſque finem moliuntur; modò ex his vna & integra actio veluti corpus è membris conflari queat. Neque etiam duæ pluresvè perſonæ eodem turbine perculſæ ſimplicitati officiunt, ſi omnes eadem cauſa corruunt, & ruina obruuntur. Damnatur enim ſola fœlicitatis, & infœlicitatis permixtio. Non demum lætitiam, quàm fortè tyrannus, aut ſeruus nequam capit ex lapſu alterius, reijcit ſimplex conſtitutio. Neque enim hæc eſt miſeriæ mutatio in fœlicitatem: & Atreum aliquem inimico ſublato cædem inter proſpera numerare, quod tamen raro fit, abſurdum non eſt. Hactenus de Materia, nunc de Forma, & mole Tragœdiæ. *Alexand. Piccol.*

Partes Tragœdiæ.
Cap. XVI.

Partiùm aliæ naturam formamq. Poëmatis, aliæ quantitatem, & molem definiunt. Nam quemadmodum, ſi naturam hominis ſpectes, anima conſtat, & corpore: Si magnitudinem, componitur

membris, altuſq. pedes octo ſeptemue, dicitur; ſic Tragędia multiplici partium varietate continetur, quibus vel tanquam formis ipſius natura, & qualitas: vel quantitas, & moles tanquam membris conflatur. Partes qualitatis ſex enumerantur: Fabula, Mores, Dictio, Sententia, Apparatus, Melodia. Quatuor quantitatis: Prologus, Epiſodium, Exodus, Choricum. Primæ quatuor qualitatis partes Comędiæ, & Epopęiæ communes ſunt: Lyricæ etiam interdum, ſed rarò omnes conueniunt. Apparatus, & melodia communicatur Comędiæ; & hæc poſtrema Lyricæ: vnde & Poëtæ Melici dicti. Habet etiam Comędia ſuo modo quantitatis partes. Quare deinceps quæ communia ſunt, erunt communi tractatione complectenda.

Ariſt. c. 4. poet.

Cap. 10.

De fabula, & quid ſit. *Cap. XVII.*

In poet. p. 38. ſeuc. 4.

FAbulam definit Ariſtoteles *σύνθεσιν τῶν πραγμάτων*, *compoſitionem rerum*. Poëta enim ſiue heroicus, ſiue tragicus, ſiue comicus, cùm veritati fucum faciat, antequam ſcribat, ea concipit; & fingit

fingit animo, quæ poſtea verſu expoſiturus eſt. Quod ſimulacrum, ſiue imitamentum veræ actionis, quo res & negotia inuenta componuntur, fabula dicitur. In quo poëtæ atque hiſtorici diſcrimen apparet. Hiſtoricus enim vniuerſa, quæ eſt dicturus, accipit ab alijs, qui geſſerunt: poëta (de optimo, & fingente ſermo eſt, ne videantur hæc pugnare cum ijs, quæ *Lib. 1.* ante dicta ſunt) aut omnia fingit, aut qũædam accipit, & multa de ſuo ad immutandum adiungit. Itaque quanuis totum poëma opus poëtæ ſit, præcipuè tamen fabulam ipſe machinatur tanquam proprium ingenij & nobilem inuentionis fętum.

Dę ea quatuor pronunciat Ariſtoteles. Primum, ἀρχὴ, καὶ οἷον ψυχὴ τῆς τραγῳδίας. *Principium, ac velut anima Tragœdia.* Principium quidem, quia fabula omnium prima conſtituitur, & quaſi baſis collocatur, cui reliqua innitantur. Anima, quia velut anima, hominis: ſic fabula eſt tanquam forma poëmatis, eiuſque naturam definit, ac perficit. Accepta enim fabula poëmatis, illicò Tragędia nè, an Comędia, an Epopęia ſit, cognoſcimus. Secundum: ἔστι δὲ μίμησις πράξεως.

eſt

eſt imitatio actionis: quia in fabula narratur res, non vt geſta eſt, ſed vt geri veriſimiliter potuit. Tertium: *τέλος τῆς τραγῳδίας. finis Tragœdiæ*; quia ſicut actio finis eſt humanis in rebus, cùm cætera ad actiones hominum dirigantur, vt bene, & expeditè fiant: ſic fabula imago, & imitatio actionis humanæ, finis eſt, ad quem cætera collineant in Tragœdia. Itaque conſtituta fabula, & coagmentatione negotiorum, morum expreſſio, dictio, & reliqua eò tendunt vniuerſa, vt fabula ornatior, & pulchrior exponatur. Quartum: *ἄνευ μὲν πράξεως οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν. ſine actione, & fabula Tragœdia eſſe nõ poteſt; ſine moribus poteſt*. Neque enim fieri poteſt Tragœdia, niſi ſit aliqua actio, quæ fabuloſè in ea exponatur. Quo modo autem narretur, morata ne, an ſententijs referta oratione minoris nègocij eſt. Et quanuis aliæ partes abundè completæ non fuerint, laudabitur tamen poëſis *ἔχουσα μῦθον, καὶ σύστασιν πραγμάτων, habens fabulam, & coagmentationem rerum*.

AD-

ADDITAMENTVM.

EX his infertur fabulam circumſcribi actione humana, veriſimili; Neque dicendas eſſe fabulas, actiones, quæ falsò tribuuntur brutis: quales Æſopicæ ſunt. Neque enim veriſimile nobis eſt, quod nouimus pugnare cum rerum, & animantium natura. *ὅτι πιθανόν ἐστι τὸ δυνατόν. quod credibile eſt poſſibile.* *Cap. 7. poet.*

Prçtereà Scaliger, qui Ariſtotelicam Tragicarũ partiũ diuiſionem arguit, meritò eſt arguendus. *Lib. 1 poe. c. 11.* *Principio*, inquit, *non eſt æqua diuiſio. Namq; fabula totum ipſum eſt mores, qualitas fabulæ: dictio, ornatus, aut imitatio rei, aut ſpecies: ſententia pars dictionis: melodia extra rem penitus: Tantò longius etiam apparatus.*

Sed fabula quidem totum ſeu tota Tragœdia non eſt; cum ſit nuda rerum compoſitio mente comprehenſa: quæ deinde verbis expoſita, extrahi tamen ab illis, ac ſeorſim narrari poteſt. Non enim minus pars poëmatis inuentio, quam eloquutio eſt. Neque mores, *fabulæ qualitas*, ſed Tragœdiæ, quæ exprimendo mores morata dicitur. Nam fabulæ ſatis eſt actionem nudè referre: vt, Hippolyti necem;

pios autem iuuenis mores hoc vel illo modo expreſſos non curat oſtendere. Neque ſententia *pars dictionis eſt*, ſi preſsè loquaris; poteſt enim eſſe integra dictio abſque ſententia. Dictio enim characterem, ac formam loquendi ſignificat elegantia, ornatuq. perfectam. Sententia autem eſt varius de rebus, prout quiſque iudicat, ſenſus verbis expreſſus: ſpectatq. ad indicandos animi affectus, vt infrà. Denique vt
Cap. 1. ipſe ſuam mentem Philoſophus aperiret, cùm docuiſſet tribus ſeiungi regiq. ſpecies poëſis: rebus, quas imitantur: inſtrumentis, quibus imitantur: modo, quo imi-
Cap. 4. tantur: deinde enunciat, fabulam, mores, ſententiam ad res pertinere: dictionem, & melodiam ad inſtrumenta: apparatum ad modum. Res ergo, quæ exponuntur ſunt actiones, mores, & iudicia hominum de rebus: conſtituuntq. fabulam, moratam orationem, & ſententiam. Dictio, & harmonia inſtrumenta ſunt, quibus exprimuntur. Apparatus eſt modi dramatici, cùm ſilente poëta, agentes perſonæ ſcenico habitu ornatuq. pronunciant; ideoque pars Tragœdiæ non ſcriptæ, ſed actæ, pronunciatæq. dicendus eſt. Quibus etiam liquet, quomodo dictio

ſit

ſit extra ſententiam, & melodia extra rem non ſit.

Fabulæ proprietates, quarum prima Implexio. Cap. XVIII.

OCto proprietates, præcipiente Ariſtotele, fabulæ traduntur ab in erpretibus: Implexio, Veriſimilitudo, Integritas, Magnitudo, Vnitas, Epiſodium, Admirabilitas, Perpeſſio. quæ ſingillatim explanandæ ſunt.

Implexio eſt cum qua pugnat ſimplicitas fabulæ. Porrò implex fabula, eodem tenore, nulla facta rerum mutatione à principio decurrit ad exitum. Vt, Mezentius cum Ænea congreſſus in prælio haſta transfigitur. Præterea ſimplex dicitur, quæ duplici fabulæ oppoſita eſt: ac duplici perſonarum fortuna partim in miſeriam, partim in lætitiam vergit, minus probata Ariſtoteli. Qua ſignificatione etiam fabula implexa, quæ ſolum tendit in bonum, vel in malum, duplici opponitur. Implexa ergo varijs ſubinde mutationibus proſperis, aduerſiſq. rebus implicatur, explicaturq. Hæc tres habet partes, Peripetiam, Agnitionem, Paſſionem. Paſſio pertinet ad fabulam

bulam Tragicam: agnitio neceſſaria non eſt: peripetia omnibus conuenit. ἔστι δὲ περίπετεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραγμάτων μεταβολή. *eſt*, inquit Ariſtoteles, *peripetia eorum, quæ aguntur in contrarium mutatio*; ſiue vt latius comprehendam, Eſt ingens præter expectationem, opinionemq. permutatio, ex qua vel calamitas fœlicitatem, vel calamitatem fœlicitas conſequatur. Vt, Hercules redit ab inferis victor, ſpolijs refertus & gloria: tum excipitur magna ſuorum gratulatione, ac lætitia. Quid minus expectari poterat, quam, quod factum eſt, vt actus in furorem, coniugem & liberos trucidaret? Hæc mutatio Tragica eſt. Comica contraria. vtramq. Epopœia complectitur. Verum huiuſmodi conuerſiones non repentè, ac fortuitò accidunt. ſed certis, coniunctiſq. inter ſe cauſis κατὰ τὸ εἰκός, ἢ τὸ ἀναγκαῖον. *ſecundum veriſimilitudinem, aut neceſſitatem*, vt, in exemplo allato, niſi Iunonis iræ, diræq. præceſſiſſent, non fuiſſet probabilis cauſa ſubiti noxijq. ab Hercule concepti furoris. Cauſæ quidem ex Tragœdiæ contextu notæ, quæ multipliciter à perſonis, negotijs, erratis, rebus ante geſtis, alijſq. ducuntur, veri-

In poe. c. 9. & c. 4.

Ariſt c. 9. poet.

Ariſt. c. 9.

veriſimilem faciunt mutationem: faciunt & neceſſariam; ſed præſertim agnitio. Neceſſe eſt enim cognita aliqua vel facti veritate, vel conſanguinitate perſonæ, quæ antea ignorabatur, mutare conſilia, & mentem: atque agere, contra quàm ante agebatur. Itaque ſi pœna eſt inflicta, dolet qui ante lætus inflixerat; vt Hercules, & Theſeus: Si non eſt illata, ceſſatur à pœna: vt Merope ceſſauit. Optima verò peripetia, ſeu conuerſio eſt, quæ cum agnitione flexum habet fœlicitatis, aut infelicitatis. Talis in Oedipo, qui ſuo genere agnito, quod ignorabat, & ſe parricidam, & inceſtu pollutum agnouit; & atroces pœnas expendit.

ADDITAMENTVM.

Aliqui aliquid aliud exigunt: vt non quæuis mutatio peripetia ſit, ſed ea duntaxat, quam ille affert, qui contrarium afferre ſtudebat; vt Oedipi nuncius, qui dum Oedipum longiſſimè à ſcelere conatur abducere, in ſcelus prolapſum oſtendit. Quod tamen neceſſarium non iudico; rariſſimè enim ſunt huiuſmodi mutationes, & nulla ferè Tragedia vel Epopœia peripetiam includeret. Satis ergo eſt ad peri-

Anſ. Cebà par. 3. de Heroica poem.

Tarq. Gal c. 19. de Tragœd.

peripetiam fabulæq. implexionẽ, vt perſonarum actio tendens in aliquem finem, inopinatò conuerſa contrarium ſortiatur.

Ideò dixerim, quanuis alij alias rationes adducant, fabulam Iliadis vocari ſimplicem ab Ariſtotele, quia quanuis multæ ibi mutationes, & qui vincebant, victi doleant; nihil tamen Achillis ira ſortita eſt conſilio ipſius mentiq. contrarium, quod præcipuum poëtæ propoſitum fuit. Contra in Odiſſæa multæ Vlyſſis actiones propè iam perfectæ in contrarium conuerſæ ſunt. Hæ, & poſtrema agnitio implexam fabulam faciunt. Vt implexa quoque eſt Æneis maroniana. Ex quibus deduces ſimplices Tragœdias eſſe habendas, quæ ab initio ad finem querelis, & doloribus abundant; vt Troas, & Octauia. His autem ſine peripetia aliquam ineſſe Cataſtrophem, cùm videlicet calamitas, quæ ſtare, & impendère quodammodo videbatur, tandem præceps miſeros opprimit.

Cap. 22. poet.

De Agnitione. Cap. XIX.

AGnitio, vt nomen ſignificat, eſt ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν μεταβολὴ. *Ex ignoratione in notitiam mutatio*: porrò finis

finis agnitionis *εἰς φιλίαν ἢ ἔχθραν, ad amicitiam, vel inimicitiam*, vt odium vertatur in amorem, amor in odium: vnde fœlicitas oritur, vel infœlicitas. Sic Vlyxes à Penelope cognoſcitur, cum fœlicitate: Oreſtes in Electræ commodum, Ægiſti, & Clytemneſtræ perniciem. Pulcherrima apud Silium Satrici patris & Solymi filij agnitio eſt: ex qua vtriuſque ſolatium, tum lacrymæ, & mortuo patre mors filij extiterunt. Igitur ea ſit ſeſe agnoſcentium animi propenſio, vt ex veteri amicitia, vel cognatione in beneuolentiam, vel recrudeſcente inimicitia in odia, cædesq. prorumpant. *Odyſſ. lib. 21.* *Sophocl. in Electra.* *Lib. 9.*

Sicut autem ignorantia alia rei eſt, alia perſonæ; ita & agnitio. Agnitio rei, factiq. eſt, cùm quid patrarit aliquis, vel non patrarit, agnoſcimus. Sic Oedipus ſe patris interfectorem agnouit, quod antè neſciebat: Theſeus factum non eſſe à filio, quod putabat. Agnitio perſonæ præſtantior eſt, & admirabilior: cum videlicet ignota nobis perſona innoteſcit. Hæc modo mutua eſt, modo non mutua. Non mutua: cum vnus tantum agnoſcitur; vt cùm Penelope agnouit Vlyſſem, quæ viro nota erat. Mutua; cùm Oreſtes Iphi- *Ariſt. c. 9. poet.*

geniam: Iphigenia Oreſtem. cognoſcuntur etiam inanima, vt annulus à Polycrate: Et animantes, quæ etiam agnoſcunt; vt, canis Vlyſſem. Quæ agnitiones tendunt ad eam, quæ perſonarum eſt. *Odyſſ. 17.*

Iam agnitionum genera quinque afferuntur. Primum, & à pluribus vſurpatum, fit per ſigna. Hæc vel ſunt congenita corpori, vt ſanguineæ maculæ in lanceæ, aut ſtellulæ, aut coronæ figuram, & alia eiuſmodi. Vel extrinſecus aſſumpta. Hæc rurſus vel in ipſo corpore, vt cicatrices vulnerum: vel extra corpus, vt cultri, enſes, torques, veſtes. Sic viſo cultro Theſeus agnitus eſt ab Ægeo patre: ex cicatrice Vlyſſes ab Euriclea nutrice. *Ariſt. c. 13. poet.* *Plutar. in vit. Theſ.* *Odyſſ. 9.*

Secundus agnoſcendi modus per ea fit, quæ poëta comminiſcitur, & artis expers habetur. quòd non è rerum contextu, fabulæq. fonte deducitur: ſed indicijs, & argumentis fingentis arbitrio excogitatis, quæ manente eadem fabula mutationem paterentur. Exemplo eſt Oreſtes, qui cum agnouiſset Iphigeniam ſororem, vt ab illa viciſſim agnoſceretur, quædam illi ſigna ſiue ex haſta, ſiue è veſtibus petita proponit. Cum alia eandem in rem forte aptiora potuiſſet exponere. *Ariſt. ibi.*

Ter-

Tertium Agnitionis genus efficit recordatio, cùm quiſpiam audiendo aliquid, aut videndo, ſuæ ſuorumq. conditionis reminiſcitur. quare in verba, ſuſpiria, lacrymas, ſeu lætitiam inopinatò erumpens à circumſtantibus agnoſcitur. Sic Vlyſſes ab Alcinoo rege cognitus eſt, cùm lacrymis ſe abſtinere non potuiſſet, audito citharedo qui Vlyſſis, Græcorumq. res apud Troiam geſtas decantabat. *Odyſſ.* 8.

Quarta Agnitio fit per ſyllogiſmum, cùm è quibuſdam ſignis inter ſe compoſitis alterius rei cognitionem elicimus. ſic Oreſtes vt amicum Pyladem à morte liberet, ait ſe eſſe immolandum, quod & ſoror ipſius immolata ſit. Iam Iphigenia ſic conficit. Ille cuius ſoror eſt immolata, eſt Oreſtes: atqui huius, ſaltem falſo opinantis, ſoror immolata eſt: igitur hic eſt Oreſtes. Hoc genus agnitionis differt à primo, quanuis etiam in illo videatur à ſignis aliquid deduci. Illa enim ſigna ſunt adeò certa, & euidentia, vt ſine accurata cognitione ad rei veritatem perducant. At in hoc genere, ratiocinatione opus habet qui amicum, vel conſanguineum eſt agniturus.

Quinta agnitionis forma fit item per

ſyllogiſmum, ſed captioſum, & falſum; habentem tamen veri ſpeciem, qui paralogiſmus dicitur. Exemplum eſt. Falſus nuncius adit Penelopem, nunciatq. Vlyſſis mortem. Non credenti fidem vt faciat, ait à ſe eius arcum cognitum iri: allatum agnoſcit: fides dicenti habetur: Vlyſſes deploratur. Hic male concluditur. eſto enim arcum Vlyſſis nuncius agnoſcat: ideonè mendacio non fallit? alij aliter exemplum Ariſtotelis interpretantur.

Vltima, & omnium optima à rebus exorta agnitio eſt, quæ videlicet prodit ex ordine, ſerie, nexuq. cohærentium inter ſe rerum: vt non tam concinnata, aut quæſita, quam è viſceribus fabulæ, ipſisq. actionibus admirabiliter nata videatur eſſe preter ſpem, atque expectationē, & agentium conſilia. Quod in Oedipo obſeruat Ariſtoteles: cui nuncius, qui illum ad regnum Corinthiorum vocabat, vt repugnantem, timentemq. ſibi à matris nuptijs adduceret, maternum genus inuito aperuit. Nulla harum agnitionum neceſſaria eſt Tragœdiæ, ſed addita addit magnam admirationem, & ornatum.

Pa-

Pathos, & Perturbatio ſabulæ. *Cap. XX.*

HÆc tertia pars eſt Fabulæ implexæ, propria Tragœdiæ, aliena à Comędia, varios in vſus, & fines identidem vſurpata ab Epopœia. Porro πάθος, Varroni *paſſio*, alijs *perturbatio* dicitur πρᾶξις φθαρτικὴ, ἢ ὀδυνηρὰ, οἷον, οἵτε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι. *Actio lethifera, vel dolore plena, veluti cum in aperto fiunt mortes, cruciatus, vulnera.* *Ariſt. c. 9. poet.* Hæc primò afficit actores tragicos, quorum crebræ querimoniæ, & eiulatus in cruciatu, in interitu: poſtea elicit dolorem, & commiſerationem auditorum. Horatius: *Victorius.* *In Art. poet.*

—— Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi, tunc tua me infortunia lædent.

At quomodo in aperto mortes? nonne à ſpectatorum oculis ſummouentur? Nonne Horatius ibidem?

—— —— —— Non tamen intus
Signa geri, promes in ſcenã, multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facũdia præſens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet.

Ita cum Horatio ferè Ariſtotelis inter-

Partic. 3. par. 11. Victor. Caſteluitr. pretes, quibus ſatis eſt abſconditas cædes palam fieri per nuncios, paucis tamen, refragantibus. Equidem aliquid amplius Ariſtoteli placere iudico, quã verba nunciorum. Nam Græcis antiquitùs etiam reorum veræ cædes inter actiones tragicas vſui fuere. Qui mos reuocatus eſt à Romanis. Fictas autem, & vmbratiles occiſiones factas in ſcena ipſæ poëtarum Tragœdiæ monſtrant. At ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι, rectiùs erunt *cædes in aperto, & palam facta*, quàm factæ in occulto, *ſed verbis expoſita*. Nulla eſt enim in narratione actio lethifera, ſed præceſſit. Docemur autem, tunc eàm vigere actionem, cùm fiunt in aperto mortes. Fiunt igitur: haud narrantur. Illud enim maximopere perturbat, & mouet. Itaque quanuis, ex optima fabula horror, terrorq. potiùs incuti debeat, quàm aliquo ſpectaculo ſcenico, vt etiam hoc ſublato horreat qui legit; non tamen extrinſeca hæc timoris adiumenta damnantur; ſi adſint cætera ad permouendum, nec ſola ſint terrifica, & prodigioſa ſpectacula. Quare ſiquis cædes, & vulnera intra ſcenam recondit, laudandus eſt: nec eo minus, qui caſus & interitus educit in ſcenam. At repugnat Ho-

Mart. lib. de ſpect. Tertull. in Apolog. 15 Lud. Card. lib. 2. in Tertull. Tarq. Gal. de Trag. c. 22.

Horatius. Num ille veras illas noxiorum cædes reprehendit? Quod ſi alios verorum ſimiles caſus incredulus odit; non odit Ariſtoteles: non oderunt Poëtæ tragici: non Romani ipſi, qui ſicut in gladiatorijs ludis humano ſanguine quodammodo paſcebantur: ſic eundem requirebant in ſcenicis; vt, qui vero gaudebant, vero ſimilem damnare iure non queant.

Veriſimilitudo, ſecunda Fabulæ proprietas. Cap. X X I.

VEriſimilitudo fabulæ credibili rerum textura continetur, & narratione eorum, quæ cuique veriſimiliter aut neceſſario congruunt. Vt autem conſtet quid veriſimiliter fingi queat, operæ pretium eſt res diſtinguere, quæ fabulis attexuntur. Nam vel natura conueniunt: vel fortuna, & caſu: vel ætate, genere, ſtatu: vel more, & habitu: vel fama, & hiſtoria, aut etiam poëſis beneficio. Res, quæ natura omnibus conueniunt non modo hominibus, ſed etiam alijs animantibus, corporibus, tempeſtatibus, ſi notæ ſint, non licet inuertere, neque illa affingere, quæ rerum naturæ repugnant. Nam

Hor. in Ar. *Qui variare cupit rem prodigialiter, vnã*
Delphinum ſyluis appingit, fluctibus aprũ.

Sic non adiunges æſtati frigora, hyemi feruores: non dices ſaxum ſuaptè vi ſurſum aſcendere: non ouium cuſtodem lupum facies, canem deprædatorem: multo magis humanitatem conſeruabis in homine, ne abeat in mores ferarum. Licet tamen aliqua præter naturam dicere, quæ aut ab indoctis creduntur, aut permittuntur pictoribus, & poëtis. Vt, ſolem in Oceanum mergi: humana ſpecie fluuios, monteſq. figurari.

Quæ fortuitò accidunt, debent probabiliter accidere: vt ne aliquis in hominem incidat Romæ, quem dixeris eſſe in Indijs. Præterea fortuitas cauſas ſui ſequantur effectus; vt ardeat qui eſt lapſus in ignem: qui decidit ex alta turre, ne abeat illæſus.

Quæ conueniunt ætatibus, generi, conditioni, ſunt eiſdem tribuenda. neque enim veri ſimile feceris, ſi feceris puerum, vel iuuenem prudentiorem ſene. Si Principem priuato ciue auariorem; nam etſi quiſpiam forte talis fuerit: poëta tamen quod generatim ſtatui conuenit, pertexit: nec quiſquam illi parcendum iudicat,

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta. *Hor. in Ar.*

Quæ ex more, & habitu perſonis affinguntur voluntariam animi electionem indicant; vnde mali, boniq. dicuntur. De qua re hoc præceptum eſto, vt quamquiſque formam virtutum, vitiorumque initio præ ſe tulit, eandem habeat ſemper, & ſeruetur ad imum.

Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi cõſtet.

Quanuis enim hominum voluntates mutabiles, variæq. ſint, & à vitijs tranſeant ad virtutes; tamen vnius diei ſpatio quo perficitur actio tragica, vel comica, veriſimile non eſt mutari voluntarios habitus: Eaſdem propter longitudinem temporis non mutat Epopœia, quia perſonæ notæ ſunt fama, vel hiſtoria: quemadmodum in Tragœdia.

Denique notam rerum famam, vel hiſtoriæ memoria, vel poëſis carmine vulgatam non licet inuertere probabiliter. Neque enim recte dixeris occiſum à Cæſare Brutum, aut ab Hectore Achillem; cædis tamen circumſtantijs poſſes nonnihil addere, vel demere. Sic quæ Geographi de regionibus tradunt, non aliter referenda. vtendum cautè anachroniſmis, vt ſeruetur ratio temporum: terris fruges, & ani-

& animantes, & cætera, quæ non alunt, tribuenda non ſunt. Demum in cunctis, *Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.*

Integritas, tertia conditio Fabulæ. Cap. XXII.

Tota, & integra fabula eſt, cum, veluti corpori membra: ſic illi ſuæ non deſunt partes, & habet principium, medium, ac finem. *Principium illud eſſe dicimus, quod non neceſſario poſt aliud eſt: cætera autem illo poſteriora vel ſunt, vel fiunt.* Nam cum ab illo cætera pendeant, niſi eodem ante conſtituto, pendere, ac promanare non poſſunt. Huiuſmodi initium non habet fabula, quę alteri ſuperadditur; vt, niſi priorem perlegas, poſteriorem percipere non poſſis. Finis poſt ſe nihil habet. peracta enim actione ſiue tragica, ſiue epica, expoſitoque, quod initio propoſitum eſt, poëma abſoluitur. Medium erit inter initium, ac finem.

Ariſt. c. 5. poet.

Quoniam verò interdum apud Poëtas, prçſertim epicos non idem initium fabulę, quod operis eſt; ſed potius à medio, inuerſo ordine libros ordiuntur; eſt obſer-

ſeruandum, tunc non illud eſſe principium fabulæ, quod primò narratur, ſed quod primum eſt in tota actione fabuloſa: Medium autem, quod illo poſterius eſt, quanquam primò narretur. Eſt enim initium non quod primò dicitur, ſed *quod primo eſt, aut fit*. Sic Virgilianæ initium fabulæ eſt Æneæ diſceſſus è Phrygia, qui narratur tertio libro. cùm primus liber diſceſſum Sicilienſem enarret. qui accidit ſeptem poſt annos. Quodſi initium fabulæ idem fuiſſet, atque initium operis, erat inchoanda narratio:

Poſtquam res Aſiæ, Priamiq́; euertere gentem.
Immeritam viſum ſuperis.

Idem fit in Tragœdijs, & Comœdijs, quæ ſæpè à nouiſſimis inchoantur.

Magnitudo, quarta conditio fabulæ. Cap. XXIII.

IVſta ſit oportet, vt animantium, ità fabulæ magnitudo. τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστὶ. *pulchritudo enim in magnitudine, & ordine eſt*. Atqui vnũquodq. congruentem naturæ ſuæ magnitudinem habet. Quare ſpectata natura Tragœ-

gœdiæ, cum eius fabula è proſperis in aduerſa prolabens horrifica iam fuerit & miſerabilis, terminum ſortita eſt amplitudinis ſuæ. Quoniam autem ſubitæ mutationes magis horrificæ, ideò actio tragica breuis includitur ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου: *intra vnam periodum ſolis*: ſiue *vnam intra diem compellitur*. Idem dices de fabula comica. At Epopœia ἀόριστος τῷ χρόνῳ, *indefinita eſt tempore*. Verum vt animantium iuſta eſt magnitudo, quam vno circumſpicimus oculorum obtutu: ita congruens fabularum longitudo, quam memoria facilè complectimur, & animo integram intuemur. Neque verò etiam in Epopœia longiſſimi temporis fabula eſſe poteſt: quia cum hæc vnitatem habere debeat, quam accipit ab actione, non poteſt vna hominum actio diuturna temporum ſpatia percurrere; tametſi ex multis actionibus conflata ſit. Sic vnum bellum multa componunt, quod fermè longum in tempus non excurrit; totum tamen ab Epicis raro deſcribitur. Quo nomine præcipuè commendatur Homerus, quód particulam Troiani belli aſſumpſerit: nimiam decennij prolixitatem neglexerit. Sed Dramatis præter terminum, quem natura poëmatis

Ariſt. c. 2. poet.

Ibidem.

Cap. 5.

Ariſtot. in poet. c. 22.

matis definiebat, alius erat ex lege in Græcia conſtitutus: vt ſcilicet recitarentur ad clepſydram, peractoq; ſtillicidio perageretur fabula. quam temporis clauſulam poſtea Romani oratoribus præſcripſere: hodieq. quatuor circiter horis peracta fabula commendatur. *Ariſt. c. 5. poet.*

Vnitas fabulæ, quinta eius proprietas. Cap. XXIV.

VNum ſit oportet opus poëſis, ne monſtrum ſit. Nihil enim ars, vel natura molitur quod careat vnitate: aliud quidem ſimplex, vt lumen: aliud compoſitum, vt humanum corpus. Et Pythagoras vnitatem in bonis, multiplicitatem in malis numerabat. Præterea vnum facilius, quàm plura percipimus. *Vnum enim finitum, plura infinitum participiant; ideoq; de vno magis oblectat, quàm de pluribus Hiſtoria.* *Ariſt. c. 7. poet.* *Ariſt. in Probl ſect. 18. n. 9.*

Deniq; ſit quoduis, ſimplex duntaxat & vnum. *Hor. in Arte.*

Quo loco non negat inſtitutor implexionem fabulæ, ſed diſſimilium formarum, & fabularum complexionem, quæ non poſſint in vnum coaleſcere. Poëſis enim

modò

modò ſimplicem, modò complexam, & poſitam ex pluribus actionem imitatur, ſemper tamen vnam.

De his Mintur. l. 1. de Poet. Hetr.

Caſtelu partic. 6. 3. par.

Alexand. part. 51. cit.

Hæc quidem certa, & interpretum auctoritate, & principium poëtarum exemplo comprobata. Sed tamen quidam Homerum, & Virgilium accuſant, quod multiplicitatem neglexerint in poëſi; quam vt aiunt, laudem poëmata quędam Italica, ſibi vendicant. Habent hi propugnatorem eũ, qui cũ poëſim fecerit imitationem hiſtoriæ, in qua nulla ferè, niſi vnitas temporum apparet; idcirco multiplicem Epopœiæ fabulam abſurdè conſtituit. His tantum de Epopœia ſermo eſt, non Tragœdia, Comœdiaq. Illa enim quia certos temporis cancellos præſcriptos non habet, plures vt dicunt, perſonas, & actiones adumbrare poteſt. Quanquam etiam Tragœdia, Comędiaq. vt aiũt, interdũ vnitate caret. Nam in Hercule furente Lycus, & Herculis filij varias ob cauſas, nec vno implicitæ nexu occidũtur. Et in Andria Terentij Pãphilus Paſibulam, Charinus Philumenam ſibi quærunt vxores. Duo nempe diuerſo fine agentium expetuntur. quomodo ergo vna actio?

Sed hæc facilè diluuntur, ſi conſtet vnde

de vnitas deducatur in fabulam. Triplici autem ex capite oriri poteſt. Vel quia de vna perſona ſcribitur: vel quia de rebus vno tempore geſtis: vel quia vna actio adumbratur. In primo genere vna fabula non eſt. Quomodo enim ex his, quæ toto vitæ ſpatio vni accidunt, inter ſe maximè pugnantia, tanta cauſarum, temporum, locorum, actionum varietate vnum efficies? Quæ conſtant vnitate temporis poëtica non ſunt; hiſtorici enim eſt diuerſorum regum, & nationum res geſtas in eiuſdem temporis annales referre. Quod ſi eodem tempore Solimanus Turca pugnat cum Perſis, Carolus autem Cæſar Tunetum expugnat in Africa; quid vnum ex his tandem conficies? Supereſt vnitas actionis, ex qua promanare vnitatem fabulæ pluribus in locis pronunciat Ariſtoteles. At quæ actio vna eſt? Multi vnitate finis definiunt vnitatem actionis, quo videlicet perſonæ poëticæ pelliciuntur ad agendum. Sic vnum eſt bellum Troianum, quia vnam Troiam Græci cepere. Hi tamen auctores (cum ſit duplex finis, alter primus ac præcipuus, alter ſecundò propoſitus) de primo loquuntur fine, quo agebantur omnes, vrbis capiendæ. finis alter,

Ariſt. c. 5. poet.
Ari. c. 22. poet.

alter; quo ſecundario tanquam pane paſcebantur, ideſt gloriæ cupiditas, pecuniæ, vltionis, non vnus fuit, ſed alius alium impellebat. Nec tamen varietas huius finis, ſi præcipuus ille vnus eſt, aufert operi vnitatem: ſicut varias ob cauſas plures domum ædificant, & vna domus efficitur. Non inficior hæc rectè diſputari, ſed vniuersè à fine pendere vnitatem fabulæ non video. Sæpè enim, vt exemplum Andriæ propoſitum oſtendit, res diuerſæ varias ob cauſas quæruntur.

Potius igitur dixerim humanam Actionem è pluribus conflatam, vt vna dicatur, publica, & populari quadam æſtimatione penſandam eſſe. Nam plerunque ſeu ciuilis, ſeu bellica negociatio varijs, & pugnantibus implicatur hominum voluntatibus; ſed quia dum pro ſe quiſque alteri obſiſtit, multiplex veluti nodus actionum efficitur, quorum nullus ſine altero explicari poteſt; vna negociatio dicitur. Id Andria demonſtrat, in qua geminæ nuptiæ ſunt. ſed quia inuicem riuales iuuenes impediebantur, neque Philumenam Carinus duxiſſet, niſi Pamphilo fuiſſet Paſibula collocata; vna eſt ciuilis, & comica multiplici actionum nexu obſtricta nego-

cia-

ciatio. Idem in bellicis, & tragicis actionibus licebit animaduertere. Ex quo corruunt male opinantium aduerſæ machinationes. In Hercule autem furente (quod reliquum erat) Lyci mors explet fœlicitatem Herculis, neque pertinet ad complorationem tragicam.

Epiſodia fabulæ, ſexta proprietas. Cap. XXV.

E Πεισόδιον *aduentitium quoddam, & ſuperinductum* ſonat, actioni autem fabuloſæ ita ſuperuenit, vt illo ablato fabula integra permaneat. Quemadmodũ extructo templo vna ſi deſit ara, perfectum nihilominus dicitur. addita eidem aulæa, & ſerica periſtromata magnum ornamentum: dempta vero perfectæ abſolutæq. ſtructuræ nihil demunt. Inuenta ſunt Epiſodia ad augendam, & exornandam fabulam. De ijs ſex pronunciat Ariſtoteles. Primò: ***Commendat epiſodia in Tragœdia, & Epopœia, alijſq; dramatibus.*** *Cap.2.22. & 15.* Secundò: ***Breuia Tragœdia, & Comœdia permittit: longa Epopœia, quæ longior eſt.*** *Cap. 15. Cap.8.* Tertiò: ***Fabulas epiſodicas improbat, id eſt Epiſodijs nimium redundantes.*** Quar-

Cap.15. Cap.8. tò: *Docet epiſodia debere eſſe* οἰκεῖα, *cognata, & affecta rebus, quæ traduntur in fabula: ipſa autem veriſimiliter, aut neceſſariò ad inuicem contexenda*. Quintò: Cap. 22. Cap. 22. *Homerum epiſodijs poëſim locupletiſſimam reddidiſſe, quod de alijs item diceret.* Sextò: *Conſtitui primum fabulam deinde illi ſubſtitui epiſodia oportere*. Ex quibus omnibus hoc de epiſodijs generale præceptum eſto: *Ad locupletandam poëſim epiſodia domeſtica, & cognata quidem, ſed extrinſecus aduenientia, & inter ſe valde coniuncta conſtituta iam fabula non plus nimio adiungito: pauciora in dramatis, plura in Epopœia*.

Iam, quoniam partes fabulæ ita inter ſe cohærent, vt qualibet dempta, vel tranſlata totum immutetur: epiſodia autem Ariſt.c.6. poet. addita, vel omiſſa integram relinquunt fabulam; ad eius partes, & Epiſodia cognoſcenda, tria oportet animaduertere: poëtæ propoſitionem: ſeriem fabulæ: principium, & finem ipſius. Quæ ſunt extra principium, & finem fabulæ, & in ea referũtur, Epiſodia ſunt; niſi omiſſa mancam, & mutilam fabulam facerent. Vt, cædes Agamemnonis pridem facta in Electra, pars fabulæ eſt, tanquam error Clytemneſtræ, & cauſa

cauſa necis ipſius. ſed in Æneide, quod Didoni narrat Æneas partim Epiſodium, partim fabula eſt. Ad fabulam pertinet tertius liber; ibi enim narratur diſceſſus Æneę è Phrygia,& Italiam verſus nauigatio: quæ non ſunt ante principium fabulæ. Nam Virgilius initio operis:

Arma, virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit Littora.

Igitur hæc fuerunt narranda in fabula. At ſecundus liber Epiſodium eſt, quia quod narratur, fuit ante diſceſſum: nempe troianum excidium. Quare ſi poëta id reliquiſſet, nihil feciſſet præter propoſitum: ideò initium fabulæ Maronianæ eſt tertius liber. Sic epiſodia ſunt, quæ de Romanis dicuntur in ſexto, & octauo, quia ſunt extra terminos fabulæ.

In tota ſerie, contextuq. fabulæ vt videantur epiſodia, videndum eſt, an aliquo ablato remaneat integrum, quod poëta canendum propoſuit. ſic amotis ludis ex Æneide, deſcenſuq. Æneæ ad inferos, adhuc integra eſſet Æneæ profectio in Italiam. Igitur hæc duo non neceſſaria, ideoq. epiſodia. Verum quia partes fabu-

læ non modo neceſſariò, ſed etiam veriſimiliter inter ſe cohærent; videndum præterea eſt an aliquo ablato manifeſta veri ſimilitudo tollatur. quo ſigno indicatur, illud fabulæ partem eſſe. exemplo ſit Æneas, qui profectus è Sicilia, fœdaq. tempeſtate iactatus, tàm veriſimilitèr appellit ad Lybiam; vt quamuis aliò compelli potuerit, tamen qui illud detraxerit, multum detracturus de veri ſimilitudine videatur. Sit ergo & iſta pars fabulæ. Sed mora libyca, nuptiæ cum Didone, & reliquæ libri quarti deliciæ, ac voluptates, quia minus propoſitioni reſpondent, reuocant incogitantem ab Italia, & heroëm per aſpera tendentem in Latium minori probabilitate conſequuntur, ſint epiſodia. Par iudi-
Cap. 15. cium ſit de Tragicis, & Comicis. Ariſtoteles tradita breui periocha fabulæ Odyſſeæ concludit, *cætera ſunt epiſodia*. Ex quo inferes profectionem Telemachi ad Neſtorem, & Menelaum eſſe epiſodium: nec tamen omnia, quę ab illis dicuntur eſſe extra fabulam, cùm quędam referantur de reditu Vlyſſis. Catalogus Nauium 2. Iliad. eodem tradente epiſodium eſt.

Admi-

Admirabilitas, & Paſsio Fabulæ, ſeptima, & octaua conditio. Cap. XXVI.

ADmiratio eſt quędam pars timoris ex aliqua re, ſenſu, animovè percepta, quę noſtram facultatem excedat. Quodcunque enim huiuſmodi, ſenſibus & animo ſubijcimus; aut aggredi, aut de eo iudicare formidamus. Oriri poteſt admiratio vel ab inanimis, vel brutis, vel hominibus. Ab inanimis: cum caſu, & fortuna fit, quod conſilio factum videtur; vt, cum columna è ſepulchro nouercę decidit in priuigni caput: & Mytij ſimulacrum ſuper inimicum collapſum eſt. Primum enim odio nouercæ, alterum vltionis cauſa factum videtur. A brutis ſumitur admiratio, tanquam multa prudenter agentibus; quę de equis, canibus, alijs animantibus Plinius, & Ælianus, & alij recenſent auctores. Ex hominibus tragica naſcitur admiratio cum vires omnes, & animum intendunt, vt aliquo ſiue lapſu, ſiue imminenti lapſus pœna ſe expediant; nec tamen euitare poſſunt: idq. malum quanto

horribilius, tanto mirabilius eſt. Tale eſt Oedipi exemplum. Minus admiramur cum ſine deliberatione erratur, vt cum aliquis hominem occidit, ratus feram eſſe. Tunc enim noluit fugere, quod ignorans fecit.

In Comœdijs ſecundus rerum euentus, quem nemo in rebus aduerſis inextricabili nodo coniunctis ſperare poſſet, admirabilis eſt. Demum quodcunque magnum ex ipſo fabulę contextu, cuius cõtrarium arctiſſimo cauſarum nexu teneri videbatur, inopinatò naſcitur, admirationem parit. In Epopœia pręter hęc, Heroum facinora humanis maiora admirationi ſunt.

Paſſio, vltima fabulę conditio propria eſt fabulæ tragicæ, rerumq. horribilium aſpectu producitur. deq. ea diximus, cum de fabula implexa loqueremur.

Solutio Fabulæ. Cap. XXVII.

CVm plures in Fabula implicentur difficultatum nodi, ſubindeq. ſoluantur; de his modò ſermo non eſt. Vltima hic pręcipitur rerum enodatio: cùm fortunæ

tunç conuerſio, quæ ante dubia, vel in neutram partem inclinabat, vel ſtabat in præcipiti, tandem peracta conſpicitur, quã exitus Fabulæ conſequitur. Hęc porro Cataſtrophe Tragędiæ dici non poteſt. Incipit enim Cataſtrophe cum declinatione fortunę. At ſolutio, acerbitatũ extrema, & omnia iã horribili caſu prolapſa comitatur. *Alexand. Piccol. l. c. Ariſt.*

Soluendi modus eſt optimus cum è Fabulę commentis ſe detegit, atque eiuſdem viſceribus iam quodammodo moriẽtis enaſcitur. Tunc autem actio vel per eaſdem res, ac perſonas, quę illam antea implicarant, explicatur; vt frequenter accidit in Comœdijs: vel per alias aduenientes. quæ poſterior ſoluendi ratio ſi intercedat agnitio, ęquè ac prior probatur: ſine agnitione minus ingenioſa cenſetur. Hanc potiùs ſolutionem amat Ariſtoteles, quàm alteram ἀπὸ μηχανῆς, *à machina, vel aliquo artificio*; cum ſcilicet per machinam aliquis è veteri Deorum turba exhibebatur, vt occultos actionum nexus reſolueret, quod & Plato, & Tullius videntur arguere. Nec dubium, quin multo laudabilior ſit Meropes agnitio prodiens è contextu fabulę, quam ſi quiſpiam per nubem deſcendens eidèm fi- *Caſtel partic. 16. p. 3.* *In Cratylo 1. de nat. Deor.*

lium oſtendiſſet, quem occiſura nō agno-
ſcebat. Nec tamen ab hiſce ſolutionibus abſtinent poëtę: quemadmodum in Ione Euripidis, Minerua ex machina loquens ſoluit fabulam. Quin etiam & in alijs multis olim Deos extrinſecus aduocare permiſſum erat, vt res prętęritas, aut futuras, aut alibi eodem tempore geſtas aperirent. Quod ſi interdum etiam illa familiariter detegebant, quę homines cogitatione, ſenſuq. aſſequi potuiſſent; id poëtis priſcis Epicis, Tragicisq. præſertim placuit, eo quod intercedere hanc Deorum cum hominibus agendi conſuetudinē putabant. Et nunc eodem modo Dæmones Furiarū habitu inflictis verberibus, iniectis ignibus, intentis, vibratisq. tædis deducimus in ſcenam: vt occulta eorum vi, conflictuq. impetitas mentes, ac peſtifero inſtinctu patrata ſcelera demonſtremus: aut contra cœlitum afflatu excitatos ad bene agendum animos, præſentiq. præſidio in virtute roboratos. Denique huiuſmodi ſolutio admittitur, cùm aliqua eius indicia præmiſſa, & tanquam ſemina in fabula ſparſa ſunt; tunc enim & ipſa è fabula proficiſcitur.

Caſtelu. l. c.

Victorius.

De Moribus, & morata oratione Cap. XXVIII.

QVintilianus putat Romanum ſermonem carere nomine, ἦθος ſignificante. Quanuis enim mos latinis ſit idem, quod ἦθος græcis; tamen exiſtimat hoc ſignificari potius morum proprietates, quàm mores ipſos. At Cicero: *Pertinet,* inquit, *ad mores, quod ἦθος illi appellant*: quanquam alibi alia Ciceroni ſignificet. De his ita Philoſophus: τὰ δὲ ἤθη, καθ' ὃ ποιοῦς τινας εἶναι φαμὲν τοὺς πράττοντας. *Mores ſunt ſecundum quos, tales eſſe dicimus agentes, ideſt bonos, vel malos, auaros ſcilicet liberales, &c.* Rurſus: ὁ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποιά τις ἐστὶν, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον ἢ προαιρεῖται, ἢ φεύγει ὁ λέγων. *Mos demonſtrat electionem qualis ſit in his, in quibus non eſt clarum, an ipſe dicens velit, an fugiat.* Quo loco ſignificatur, mores eſſe, quibus homines imbuuntur ob electionem eorum, quæ liberum eſt illis velle, vel nolle. Nam dicuntur à Philoſopho eſſe in noſtra poteſtate, quæ ſpontè eliguntur à nobis, vt agantur, vel fugiantur. Ex quibus actionibus,

Lib. 2. c. 2.

De fato.

Poet. c. 4.

Madius.

3. Eth. c. 5.

bus, ſi ad virtutem ſpectant, bene morati: ſi ad vitium inclinant, malè morati dicimur. Morem igitur efficit operatio: electio voluntatis operationem: electionem eligendorum præcedit agnitio; non enim eligimus quod ignoramus: tum consulto eſt opus, vt certa iudicij æſtimatione vtilitatem, oblectationem, ac cætera metiamur, quæ ſecum actio inuoluit. Hæc ſequitur delectus, & operatio; quæ ſi honeſta, ſi cum virtute coniuncta ſit, bonos, & honeſtos mores: ſi vitioſa, & turpis, prauos ac diſtortos habitus progignit in nobis.

Exprimuntur mores in Tragœdia, alijsq. poëmatis, vel repræſentando actiones, vel referendo verba perſonarum cupientium aliquid, aut improbantium. Vtrunque enim indicat electionem voluntatis, & vtrobique eſt morata Oratio. Exemplo ſit Atreus, qui cum ſeruo loquens: *In Thy. ac. 2.*

Ignaue, iners, eneruis, & quod maximum
Probrum tyranno rebus in ſummis reor.

Inulte: demonſtrat ſuſceptam vlciſcendi voluntatem, & iniuria furentis hominis mores. At Euander apud Virgilium:

Vadite, & hæc memores regi mandata referte;

Quod

Quod vitam moror inuiſam Pallante perempto
Dextera cauſa tua eſt; Turnum gnatoq; Patriq;
Quàm debere vides:

Exprimit mores hominis non ira, ſed dolore ardentis, appetentiſq. vltionem, tanquam vnicum eiuſdem doloris leuamentum.

Quomodo ſint effingendi mores. *Cap.* XXIX.

QVatuor de moribus effingendis præcepta ſunt. *Probos* enim, *conuenientes, ſimiles, æquabiles* oportet eſſe. Probi ſunt mores, cùm probos agentes ex actione nuncupamus, honeſta videlicet, & profecta à virtute. Quadrat præceptio in tragicas perſonas primarum partium, quæ ſaltem mediocres virtute, vt in miſeria, miſericordiam aucupentur, bonos præ ſe ferunt mores, & immerentes ſupplicij iudicantur. Itaque Tragœdia non excludit aliorum improbos mores, Tyrannorum ſæuitiam, ſeruorum calliditatem, perfidiam fœminarum. Comici actores à probitate abſunt, quia malos, & ridiculos mores imi-

Ari.1.15. *Alexand. part. 77.*

imitantur. Epopœia optimos adumbrat in Heroibus. Quod ſi probi ſerui, ac fœminæ referantur mores; meminerit auctor, in vnoquoque genere certos eſſe bonitatis gradus: & ætates, ſexus conditiones ſpectari. ſua eſt omnibus bonitas, ſed puero, ac fœminæ imbecillior quàm viro: ſeruo deterior, quam libero: duci amplior, quàm militi; vitioq. dabitur regi, quod cuipiam è populo ſatis eſt ad probitatem.

Altera conditio conuenientia eſt, ne quod vni congruit, tradatur alteri, & vrbani viri mores ruſtico inſerantur. Fortitudo mos eſt, ait Ariſtoteles; ſed eſſe vel fortem, vel prudentem, vtique mulieri non conuenit. Neque ad poëtas tantum, ſed etiam hiſtoricos, & oratores pertinet τὸ πρέπον. Cuius rei præclarum ſuperioris ætatis hiſtoricum vir doctus humaniter arguit: qui gregarium militem induxerat ad legiones verba facientem, exprimentemq. neruos omnes, ac numeros oratoriæ artis; *vt*, quod ait ille, *nequaquam ab aratro Volaterrani agri ad ſigna vocatus, ſed è ſchola Ciceronis, & Hermogenis ad ſuggeſtum raptus eſſe videatur*. Verum poëtæ tanto operoſius id moliuntur, quanto longius à veritate recedentes, non quid

Paulum Iouium Andreas Alciat. Mareoniũ lib. 30.

quiſ-

quiſque geſſerit, ſed quid iuxta naturam ſtatumq. gerere debeat conſiderant. Quare Virgilius de fœmina per emphaſim dixit, *Æneid. 7.*
Bellatrix; audetq; viris concurrere virgo.
quaſi illam non deceret.

Tertiò. Mores ſint ſimiles; ideſt famæ vulgatæ, & opinioni reſpondeant, quam de perſonis concepimus. In quo ſimilitudo ſita eſt. Cum enim hæc inter duo ſit, perſonam à Poëta depictam cũ illa comparamus, quam animo comprehendimus, & cum illi reſpondet, ſimilem dicimus. Concinit Horatius; *In Arte.*

Scriptor honoratũ ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq;, flebilis Ino.

quia nimirum nos talem de his opinionem habemus: neque poëta, vt ſcribat credibilia, debet ab illa recedere. Ideò ante idem præceperat.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.

Diſcrepat autem morum ſimilitudo à conuenientia, quòd conuenientia veluti vniuerſalis ſpectatur generatim in fœmina, viro, ſeruo, libero: ſimilitudo in ſingula- *Alexand. Madius. Robortell.*

Riccoboni diſput. de tam. gulari homine, Petro, Achille. De his enim hiſtoriæ aut fabulæ loquuntur, vt famam, & nomen euulgent.

Quarta conditio eſt, vt mores æqualiter procedant, & ſibi conſtent: quique ſemel fortis, iracundus, audax fuerit idem, fortitudinem, iram, audaciam ſemper retineat. Cum enim ferè operationes ex habitu proueniant, habitus verò non facilè ex animo euellantur, niſi fiat magna vitæ conuerſio, eodem modo ſe habent, & habitus, & hominum actiones.

——— Seruetur ad imum
Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi cõſtet.

Quod ſi quidam moribus sũt inæquales, & mutantur in horas, vt pueri, vt fœminæ, vt olim Catilina, & Alcibiades; ſeruentur in illis hæc inæqualitas, & morum inconſtantia; ament, oderint, iraſcantur, ignoſcant. *Saluſt. Cic. in or. pro Cælio. Plut. in v.*

Sexus mores in Amata regina Virgilius expreſſit:

V. Æn. *Turnus auis, atauiſq; potens, quem regia coniux*
Adiungi generum miro properabat amore.

Deinde morum ſimilitudinem:

Quam ſuper aduentu Teucrum, Turniq; hymenæis

Fœmineæ ardentē curaq́ iraq́ coquebant.

Idem in Camilla bonitatem fœminæ vitio permixtam. 11.Æn.

Hūc virgo, ſiue vt templis præfigeret arma
Troia: captiuo ſiue vt ſe ferret in auro
Venatrix: vnum ex omni certamine pugnæ
Cæca ſequebatur: totūq́ incenſa per agmen
Fœmineo præda ſpoliorum ardebat amore.

Mores probæ fœminæ Terentius: In Heautontim.

Texentem telam ſtudioſe ipſam offendimus
Mediocriter veſtitam veſte lugubri
Sine auro tum ornatam, ita vti quæ ornantur ſibi
Nulla re malas expolitam muliebri.

Fortis viri Statius in Tydeo: 8.Theb.

——Odi artus, fragilemq́ hūc corporis vsū
Deſertorem animæ.

Mores Aetatum. Cap. XXX.

AEtatis cuiuſq́ notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſq́ decor naturis dādus & annis. Hor. in poet.

De ætatibus varia opinio eſt: Varro quinq. fecit hominum ætates, vt quintodecimo quoque anno terminentur. Horatius quatuor. Tres Ariſtoteles, à quo & ætates, & ætatum mores accepimus.

Iuue-

2. Rhetor. Iuuenes ſunt immodici cupiditatibus, ad voluptatem pręcipites, & quidquid volũt, nimis volunt: inconſtantes tamen ac leues, ægrorum more appetentes quod deinde faſtidiunt: iracundi, honoris, gloriæ, victoriæ cupidi, pecuniæ minimùm ſtudioſi, quia indigentiam nondum experti: ſimplices potius, & faciles, quàm malignè improbi, creduli, bene de rebus ſperantes, fortes, verecundi, magnanimi, amicitiæ ſtudioſi, quam non vtilitate metiuntur: in reliquis etiam honeſtate permoti, miſericordes, nimij in errando, incurioſi, rati ſe ſcire omnia, de omnibus facilè enunciant: hilares riſumque captantes, iocis & garrulitate delectantur.

Senes tam moribus ab his, quàm ætate diſtant. De omnibus dubitant, nihil ſe ſcire dictitant, nemini credunt, omnia in deterius accipiunt; quippe quos format experientia: tanquam oſuri amant, oderunt velut amaturi: anguſtæ animæ, nihil magnum, ſolam vitam appetunt, qua ſe priuatos vident: auari, illiberales, pauidi, difficiles, queruli, vtiles ſibi, obiurgatores, non faceti, multa deſperantes, ſpe vero exigua rerum in vita futurarum, præteritorum memoria viuunt, ideò & loquaces:

ces: lucri appetentes, cætera minimè cupiunt: ijdem miſericordes, quoniam mala ſibi appropinquare putant.

Medij inter ſenes, ac iuuenes medios etiam mores habent. Non perinde confidentes, aut timidi, pericula nec fugiunt, nec adeunt imprudenter; fidem adhibent, ſed non omnibus: veritate permoti, æque in bonis habent honeſtum, & vtile: non auari, non profuſi; cohibent iram, & cupiditates, fortitudinem cum temperantia miſcent: quæ commoda iuuentus ac ſenectus habet, amplectuntur: quæ deficiunt, vel exuperant, laudabili mediocritate moderantur. Ferendum verò non eſt ſi quæ vnius ſunt ætatis alteri tribuantur.

——— *Ne forte viriles*
Mandentur iuueni partes, pueroq́; ſeniles.

Mores fortunarum. Cap. XXXI.

MOres fortunarum dicimus, qui ex varia fortuna proueniunt proſpera vel aduerſa. Aliud enim diues, ac Dominus: aliud pauper, ac ſeruus agit, & appetit. Quatuor autem fœliciorum genera ſunt. Nobiliũ, diuitum, potentiorum, eorũ qui proprio nomine fortunati dicũtur. *Ariſtot.*

Nobiles, honoris traditi à maioribus ſtudioſi ſunt, quem & conantur augere, alios contemnunt, etiam ciues nuperæ nobilitatis. Et maiorum quidem virtute, gloriaq. conſpicui nobiles, qui non degenerant à maioribus, generoſi dicuntur. Iuuenalis:

Sat. 8. *—Quis enim generoſum dixerit hũc, qui*
Indignus genere, & præclaro nomine tantũ
Inſignis?

Diuites contumelioſi ſuperbi ſunt quod pecuniarum poſſeſſione, *quibus cuncta*, vt eſt in veteri prouerbio, *ſubijciuntur*, omnia ſe habere putant: delicati, teneri, ſuo prope iure elati, quòd ipſorum ope plurimi egeant, & deberi ſibi putent imperia.

Iiſdem ferè aut melioribus præditi moribus potentes viri; honoris, & gloriæ appetentes, potentiæ conſeruandæ vel cum periculo ſtudent, excelſi potius animo, quàm graues, & contumaces: quia honore magni, in facilitatem, humanitatem moderationem proni ſunt: iniurias inferunt magnas, & ſibi pares.

Fortunatos, quibus præter nobilitatem, diuitias, potentiam copia liberorum, integra valetudo, cæteraq. adſunt fortunæ,

& cor-

& corporis bona, ſecundæ res ſuperbos faciunt, & imprudentes. Effert enim proſperitas rara inter homines: prouidentiores, cautioreſq.reddit calamitas.Hi tamen piè ſe gerunt erga Deum à quo cuncta ſibi largè impertiri vident. In reliquis ſimiles ſuperiorum, mores non diſſimiles habent.

Claudianus in Stilicone generoſi adoleſcentis mores colorauit. 1.*Paneg. in Stil.*

——— Mens ardua ſemper
A puero, teneriſq; etiam fulgebat in annis
Fortuna maioris bonos. erectus, & acer
Nil breue moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, faſtiſq; loqui iam digna futuris.

Fortunatæ fœminæ in Ouidij Niobe recognoſces. 6.*Metamor.*

——— Mihi Tantalus auctor,
Cui licuit ſoli ſuperorum tangere menſas.
Pleiadum ſoror eſt-genitrix mea: maximus Atlas
Eſt auus, æthereũ qui fert ceruicibus axem.
Iuppiter alter auus, ſocero quoq; glorior illo.
Me gẽtes metuũt phrygiæ, me regia Cadmi
Sub Domina eſt: fidibuſq; mei cõmiſſa mariti
Mœnia cum populis à meq; viroq; regũtur.
In quãcũq; domus aduerti lumina partem
Immenſæ ſpectantur opes. accedit eodem

Digna Dea facies; huc natas adijce ſeptem,
Et totidẽ Iuuenes, & mox generoſq; nuruſq;
Quærite nunc habeat quam noſtra ſuperbia cauſam.
Sum fœlix, quis enim neget hoc? felixq; manebo.
Hoc quoq. quis dubitet? tutã me copia fecit.
Maior ſum, quam cui poſſit fortuna nocere.

Contrarios his mores habent ignobiles, pauperes, miſeri. Quos omnes diligenter exprimat poëta neceſſe eſt. nam.

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditesq; cachinnũ.

Mores gentiũ, & populorũ alij referant.

De Sententia. Cap. XXXII.

SEntentia, quæ tertiam partem Tragœdiæ, aliorumq. poëmatum conſtituit, ſpectat ad intelligentem facultatem. nam vt mores, & morata oratio declarat hominis voluntatem, & quid agendum elegerit: ſic ſententia indicat quid quiſque iudicet, ſentiatq. de rebus. διάνοια δὲ ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι, ὡς ἔστιν, ἢ ὡς οὐκ ἔστιν, ἢ καθόλου ἀποφαίνονται. *ſententia in his verſatur, quæ demonſtrant quomodo aliquid eſt, vel quomodo non eſt, vel*

Ariſt. c. 4. poet.

cùm

cùm vniuerſè enunciant. Quo loco diſcitur, duplex eſſe genus ſententiarum. Alterum, quod de rebus in vniuerſum pronunciat. vt,

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. *Sen.*

Alterum, cum pro re declaratur animus, & aliquid vel demonſtramus, vel diſſoluimus, vel augemus, vel minuimus: vel, quoquo fine ad perturbandum, ad pacandum, ad ſuadendum, mentem aperimus. vt, quod ait Thyeſtes:

Pro me nihil iam metuo, vos facitis mihi Atrea timendum. *Seneca.* Vtraque ſententia pertinet ad poëtas tam prior quæ γνώμη, quàm poſterior, quæ διάνοια, & magis propria poëtarum eſt. nec modo in ea iudicium animi, ſed & voluntas ferè oſtenditur, cùm vnuſquiſque loquatur iuxtà habitus, & mores ſuos. ſic, cùm Creon de Medea pronunciat:

Nondum meis exportat è regnis pedem? *Sen.*
indicat ſe eius abitum decreuiſſe. Sed præcipuum eſt in ſententijs τὰ πάθη παρασκευάζειν, *præparare affectus*, vt ait Ariſtoteles. *Cap. 19. Poet.* Iudicamus enim de rebus ex affectu: ideoq. ad iram, miſericordiam, timorem excitamus, quia iiſdem agitamur affectibus. Quare loqui cum ſententia,

præcipuè eſt loqui cum affectu, & affectus ciere. Porro ſicut morata oratio virtutes, & vitia: ita ſententia cupiditates, motioneſq. detegit vel animum prauè regentes, vel ab animo rectè compreſſas; vnde varietas intelligentis, & iudicantis animæ prouenit. Quare hic breuiter de Affectibus.

Ari. c. 19. poet.

ADDITAMENTVM.

NEgandum non eſt, agi in poëtica de vtraque ſententia laudato loco: & vtranque poetas eſſe complexos, qui paſſim de rebus vniuersè enunciant. Sed tamen ab illis γνώμη vſurpatur citra oſtentationem eruditionis, & doctrinæ, quod conuenit oratoribus, vt præceptor Philoſophus monet. Immo ad res mirè probandas, & ſingulare quidpiam poëtæ dicturi, aliud in vniuerſum proferunt, quo ſingularia continentur, & probantur. vt, cùm Dido Æneæ fidem infidam arguit, *Nuſquam*, inquit, *tuta fides.* Infertur enim, Nec Æneæ tuta eſt. Eiuſdemq. Didonis inſtabilis voluntas ſignificatur, generatim dicendo:

Cap. 19. Poet.

—— *Varium, & mutabile ſemper*
Fœmina.

Quid

Quid ſit Affectus. Cap. XXXIII.

QVod *Græci πάθος vocant, nos vertentes rectè, ac propriè affectum dicimus.* ſed græco nomini melius reſpondet *Paſſio*, aut quod magis latinum eſt, *Perpeſſio;* quod cum affectu aliquid corpus patiatur. *Motus* etiam *turbidus*, & *motio* dicitur, ac *perturbatio*. Appetitus enim à rebus mouetur extrinſecus, vnde perturbatur animus, & ſua tranquillitate priuatur. quare Cicero, *quæ*, inquit, *Græci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quàm morbos.* *Quintil. lib. 6. c. 2.*

Iam miſſis Stoicorum definitionibus, Ariſtoteles ſic affectus definiuit: ἔςι δὲ τά πάθη, δἰ ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονὴ. *Sunt autem affectus, propter quos mutati homines differunt in iudicijs, eoſq́ dolor, aut voluptas conſequitur.* quæ definitio ab effectis deſumpta, duo exponit, quæ motus efficit tum in animo, tum in corpore. In animo quidem, vt nos cum amore, odio, ſpe, timore aliter de ijſdem rebus ſentiamus, & à præteritis noſtris iudicijs diſcrepemus. Sic Terentius: *De quibus Cic. 4. Tuſcul. Lib. 2. Rhet. c. 1.*

In Eunucho. *Dij boni quid hoc morbi eſt? adeon' homines immutarier*
Ex amore, vt non cognoſcas eundem eſſe?

In corpore vero, vt moleſtia, aut voluptate afficiamur. Nam cùm facultas motuum receptrix, corpori penitus inhæreat, ab illis mutationem tranſmittit in corpus, quæ modo iucunda, modo permoleſta, eſt: illa voluptas, hæc dolor appellata.

At, nonne ſapientis eſt mutare conſilium, & aliter ſentire de rebus? Ita ſanè. Sed tria ſunt quæ affectum quaſi digito commonſtrant. Primum, vt nulla fiat in rebus mutatio; ſæpe enim aliter ſentimus, quia res aliter ſe habent. Secundum, vt mutetur iudicium exorta perturbatione; qui enim ſola ratiocinatione ſententiam mutat, non mutat ex affectu. Tertium, vt inſit aliquis ſenſus doloris, aut voluptatis Hæc tria ſimul coniuncta nunquam diuelluntur ab affectu. *Mad loco cit. Rhet.*

Quotuplex ſit Affectus.
Cap. XXXIV.

QVoniam de numero affectuum plures ipſis affectibus ſententiæ ſunt, ego

ego quoſdam veluti principes ſecernam, quibus alia minoris notæ familia ſubijcitur.

Duplex enim in appetente hominis facultate pars ineſt, altera Cōcupiſcens, altera Iraſcens. Inflāmatur Iraſcens obiecta re difficili, & ardua: Cōcupiſcens re facili, & expedita. Mouetur vtraque ad fugiendū, vel aſſequendum; malum enim fugit, ſequitur bonum. Res ergo facilis, bona, & futura primùm ſui Amorem ingenerat, deinde Deſiderium: eadem præſens Gaudium parit. At res mala, ſed futura, Odium primo, deinde Fugam inducit: præſens Dolorem, & Triſtitiam affert, ternos ternis prioribus contrarios animæ concupiſcentis affectus. Neque Amorem atque Odium rei adeptio extinguit, qui eam quoque præſentem conſequuntur. Iam verò res ardua vim ſuſcitans Iraſcentem ſi bona eſt, ac ſuperabilis attollit Spe: inſuperabilis deprimit Deſperatione. Si mala, ſed euitabilis, vrget Confidentia; ineuitabilis opprimit Timore. Quod ſi alicuius cauſa obtineri bonum, deuitari malum non poteſt, exardeſcit Ira. His quinque Spe, Deſperatione, Confidentia, Timore, Ira, ad priores Amorem, Deſiderium, Gaudium,

dium, Odium, Fugam, Triſtitiam additis, vndecim erunt affectus; totidemq́ protulit in luce clariſſimi operis S. Thomas. Ariſtoteles nihil certi definiuit in Ethicis: in Rhetoricis potiùs affectus declarare, quàm numerum decernere voluit. Cæterum in hoc perturbationum ordine aliæ quaſi ad latus componuntur. Nam Amori Gratia, Miſericordia, Manſuetudo ſubnectitur: Cupiditati Æmulatio: Odio Inuidentia: Fugæ Inimicitia: Confidentiæ Impudentia: Timori Verecundia: Iræ Indignatio; vt viginti ſint affectus. Alij quoſdam ex his expungunt, alios addunt: immo ex Platone innumeros faciunt, & nomine carentes. Alij duos Platoni attribuunt, Voluptatem, & Dolorem. Alij ſex, Voluptatem, Dolorem, Timorem, Fiduciam, Cupiditatem, Iram. Cicero ex placitis Stoicorum quatuor numerat, Gaudium, Libidinem, Metũ, Dolorem. totidem Boetius ſed pro Libidine Spem recenſet:

1. 2. q. 23. ar. 4. *Lib. 2. Ethic. c. 5.* *Lib. 2. Rhet.* *Euſtr. l. 2. Ethic. c. 3.* *Lib. 7. Metro. 7.*

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq́; fugato,
Nec dolor adſit.

Cum quo ſentit Virgil. expuncta Spe:

Æneid. 6. *Hinc metuunt, cupiuntq. dolent, gaudentq.*

Amor, & Odium. Cap. XXXV.

TRia de vnoquoque affectu cognoſci debere præcipit Philoſophus. Quinam illo afficiantur: Erga quos eodem ferantur: Quibus oriatur ex cauſis. Hæc, vt idem tradidit, cognoſcentur. *Amor* (Amicitię nimirũ, ac beneuolentię) *eſt velle alicui quæ bona arbitratur, illius, nõ ſui gratia, eaq; pro viribus efficere.* Amicus eſt qui ſic amat, & mutuò amatur. at in amore nõ mutuo, quiſpiam amans alterius eſt, non amicus. Amamus autem non quoſcunque, ſed gaudentes bonis, dolentes malis noſtris, aut eadem habentes: amicorum amicos, & inimicos inimicorum: beneficos erga nos, & caros nobis, voluntate ſaltem ſi minus facultate: virtute inſignes, præſertim quæ publicæ ſaluti ſtudet: probos, modeſtos, quorum amicitiam aucupamur: moribus ſuaues: conſuetudine iucundos, & facetos, non contentioſos, vitia non obſeruantes: ad illudendum, & ferendum paratos: noſtri laudatores: facie, veſtituq; mundos: immemores iniuriarum: beneficia non exprobrantes: noſtri ſtudioſos, ſimiles, æquales, non maledicos, ſtabiles in ami-

Lib. 1. Rhet. c. 1.

Ariſt. 2. Rhet. c. 4.

amicitia etiam abſentium, vel mortuorum, vel in conuerſione fortunæ: ſimplices, non callidos, non timendos; neque enim amatur, qui timetur. Aliter Amorem, non hunc amicitiæ ſolum, ***Rerum complacentiam*** definiunt; placent enim res appetentibus, quæ illos ſua trahunt illecebra.

Odium Amori opponitur, cuius origo malum eſt; quod quia ob noxiam naturam quædam inferunt, ideò & naturale inditur odium. ſic homo anguem; ouis lupum odit, ac fugit. Sed generatim ob cauſas amori contrarias odium gignitur. Si enim ſuaues moribus, noſtri amantes amamus; agreſtes, aſperos, noſtri contemptores, ac detractores odimus. Tria verò præſertim odium creant, ***Ira***, ***Incommodatio***, ***Criminatio***. Ira odij cauſa eſt, cum occaſio nulla vltionis ſe offert. tunc enim ferri vices gerit odium, ferro nocentius. Occultat enim ſe ſe: habetur ſine dolore: fertur non ſolum in ſingulos, ſed vniuersè in homines: & à quibus nihil mali acceperis, populos, nationes. Quia vero odio habentur vitia, quæ raro exuuntur; odium raro deponitur; grauiſſimaſq. exigit pęnas nullo miſericordiæ reſpectu. Quæ omnia

Ari. ibid.

Ira

Ira non faceret. Secundò, ἐπηρεασμὸς, *in-incommodatio cum ludribrio*, ſeu *vexatio* odium parit; nec modo accepta iniuria, ſed etiam illata. Verum enim illud. *Proprium humani ingenij eſt, odiſſe quem laſeris*. Sed incommodum acceptum cum contemptu odium acuit. Tertiò, Criminatio, violatâ ab altero, & laceratâ fama. Si enim noſtri laudatio amorem fert, quid feret vituperatio? *Ariſt. l. 2. Rh. c. 5.* *Tacit. in vita Agr.*

Amoris frequentiſſima exempla. Odium Creon expreſſit appropinquante Medea. *Sen. in Med.*

Arcete famuli tactu & acceſſu procul.
Iubete ſileat, regium imperium pati
Aliquando diſcat: vade veloci via
Monſtrumq. ſæuum, horribile iamdudum auehe:

Polynicis in fratrem Iocaſta mater: *Senec. in Theb.*

—— *Quo vultus refers?*
Acieq. pauida fratris obſeruas manus?

Et ipſe Polynices:

Vt profugus errem ſemper? vt patria arcear
Opemq. gentis hoſpes externæ ſequar?
Quid paterer aliud, ſi fefelliſſem fidem?
Si peieraſſem? fraudis alienæ dabo
Pœnas, at ille præmium ſcelerum feret?

Domitius in victorem Cæſarem, moriens in acie Pharſalica: *Lucan. lib. 8.*

Non

Non te funeſta ſcelerum mercede potitum
Sed dubium fati Cæſar, generoq. minorem
Aſpiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et ſecurus eo: te ſæuo Marte ſubactum
Pompeioq. graues pœnas, nobiſq. daturum
Cùm morior, ſperare licet.

Deſiderium, & Fuga. *Cap. XXXVI.*

DEſiderium Amore poſterius, & quidam productus Amor fertur in bonum. Idem eſt Cupiditas, quanquam hæc fermè flecti putatur in prauum, immoderata, & vehemens. Deſiderium autem in alia genera diffunditur. Nam auri deſiderium, Auaritia: honoris, Ambitio: voluptatis, Libido: inutilis ſcientiæ, Curioſitas: honeſtæ cum contentione mercedis, Æmulatio eſt. Cauſa deſiderantis appetitus, eſt rei abſentis bonitas, quæ animo ſe ſe obijcit ſalutaris, & conueniens. Neque omnia deſideria ab rerum amore proficiſcuntur. Neque enim aquam diligimus, ſed in magna ſiti, ſtudio noſtri conſeruandi appetimus. quod deſiderium ſui ipſius amor, non aquæ progignit. Iuuenes cupidi-

piditas acrius accendit, tum ab igneam ætatem: tum quia exiguo rerum vſu facilia credunt, quæcunque concupiſcunt. Senes tardius appetunt, ſed pertinaciùs. Crebriùs pueri, & mulieres, ſed inconſtantiùs, propter animi mobilitatem, & imbecillitatem virium.

Fuga ex odio profecta tendit in malum, ſiue à malo recedere, fugiendo, ac deteſtando conatur. Inde oritur Inimicitia amplectens odium, & iram; vt vel expetatur vltio, vel pœna optetur alteri, infligaturq́. Nec plura de his, nam communes locos odij, & iræ habent.

Impotens aurei monilis deſiderium in Eryphila Statius adumbrauit.

Viderat hoc coniux perituri vatis, & aras 2.Theb.
Ante omnes, epulaſque trucem ſecreta coquebat
Inuidiam, ſæuis detur ſi quando potiri
Cultibus.

Mortis ſeu cædis deſiderium vehemens 4.Pharſ.
in Vulteio deſperante Lucanus:

Vita breuis nulli ſupereſt, qui tēpus in illa
Quærenda ſibi mortis habet: nec gloria lethi
Inferior, iuuenes, admoto occurrere ferro.
Omnibus incerto ventura tempore vita

Par

Par animi laus eſt, & quos ſperaueris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

8. Æn. In Euandro vitæ profectioniſquè deſiderium Virgilius.

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vnquam
Nate tuo.

4. Metam. Mali fugam indicat Ouidius in Ino, & Athamante:

—— Monſtris exterrita coniux,
Territus eſt Athamas, tectoq. exire parabāt.

In Medea. In Medea deprecante fugam, fugæ odium Seneca.

Profugere cogis: redde fugienti ratem,
Vel redde comitem. fugere cur ſolam iubes?
Non ſola veni. bella ſi metuis pati,
Vtrunque regno pelle: cur ſontes duos
Diſtinguis? illi Pelia, non nobis iacet.

Gaudium, & Triſtitia. *Cap. XXXVII.*

Gaudium à præſenti bono, Triſtitia à præſenti malo eſt: nec tàm ſunt motus,

tus, quàm ſtatus animæ in bono, vel malo quieſcentis. Gaudium, *ex finis, boniq; adeptione iucunditas eſt.* Quæ à voluptate differt. Voluptas enim *eſt bene diſpoſiti ſenſus operationem conſequens delectatio*: qua etiam ob ſtatum naturæ conuenientem quilibet perfunditur. Gaudium quidem ſi tantum in mente ſit: vt, ob cognitam contemplando veritatem, affectus non eſt; hic enim ſine corporis motione eſſe non poteſt. Cæterùm ſicut expletus amor, cum deſiderio, ſic alia quædam gaudium efficiunt; vt, actio ſponte ſuſcepta, ex naturæ propenſione, & vi conſuetudinis: memoria præteritorum: rerum varietas, earumq. noua notitia: eorum quos diligimus conſuetudo: dominatus, & cuiuſlibet oſtentatio excellentiæ. Porrò quæ admirationem pariunt, pariunt & voluptatem. Nec gaudium celari poteſt: rubentem in vultum, reuocato ad extima ſanguine, ſe fundit, hilaritate, riſu, alijsq. ſignis deprehenſum.

Lib. 1. Rh. c. 8. & 9.

Lal. Peregr. de Gaud. c. 2.

Triſtitia *de malo præſenti ægritudo eſt*. Hæc animi eſſe dicitur, dolor vero corporis. Itaque dolorem, malum re ipſa præſens efficit: Triſtitiam etiam abſens, & pro præſenti habitum. Voluptati oppoſitus

P

poſitus dolor, gaudio triſtitia: quanquam & pro eodem accipiuntur. Dolorem auget ſublata ſpes mali auferendi, quo quid miſerius? improuiſa calamitas: retardatio adeptionis boni, & demũ ipſa boni amiſſio pro præſenti malo habetur. Dolore autem non ſolum angitur animus ad agendum inutilis, ſed cruciatur corpus, & conſumitur, nec rarò exanimatur, confluente ad vitalia, & circum rigente ſanguine. Ideò λύπη, dicta triſtitia, quaſi λύσις, nempe ſolutio; vires enim, & facultates ſoluit. Eius ſigna perſpicua ſunt, animi deiectio, crebri gemitus & ſuſpiria, luctus, lacrymæ; quæ tamen nimius interdum eripit dolor, & ſenſum extinguit: caua oculorum, decolor vultus, membrorum gracilitas, & alia huiuſmodi.

Obnoxij triſtitiæ ſunt, qui atra bile infeſtantur, grauitèr vexati, læſique, vulnere affecti, membris mutilati: deiecti bonis corporis, & fortunæ: perculſi conſanguineorum, domeſticorumq. caſibus, quibus præſertim ſubuenire non poſſis: eorundem funera, & mortes: carcere, vinculiſq. detenti, afficiendi ſupplicijs: morbis afflicti diuturnis: inopes, nec habentes vnde vitam ægrè ſuſtentent.

Gau-

Digitized by Google

Gaudium Amphitryonis in Herculis reditu, Seneca ſic pangit: *In Hercule furente.*
Vtrumne viſus vota decipiunt meos?
An ille domitor orbis, & Graium decus
Triſti ſilentum nubilo liquit domum?
Eſt nè ille natus? membra lætitia ſtupent.

Agamemnonis item redeuntis lætitiam idem. *In Agamem.*
Tandem reuertor ſoſpes ad patrios lares,
O chara ſalue terra: tibi tot barbara
Dedere gentes ſpolia: tibi fœlix diu
Potentis Aſiæ Troia ſummiſit manus.

Chæreas apud Terentium ſic gaudio exultat. *In Eun.*
O populares, ecquis me viuit hodie fortunatior?
Nemo hercle quiſquam: nam in me plane dij poteſtatem ſuam
Omnem oſtendère, cui tam ſubito tot congruerint commoda.

Stophilus apud Plautum: *In Aulul.*
Pici diuitijs qui aureos montes colunt
Ego ſolus ſupero: nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego ille Rex Philippus. O lepidum diem.

Pamphilus apud Terentium: *In Hecyra.*
Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſq; adeo plenior? egon'

Pro hoc nuncio quid te donem? quid? quid?
neſcio?

6.Met. Triſtitiam in Niobe figurat Ouidius, amiſſis liberis:

——— ——— Orba reſedit,
Exanimes inter natos, natasq́; , virumq́;
Diriguitq́; malis. nullos mouet aura capillos:
In vultu color eſt ſine ſanguine, lumine mœſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine viuum.

Lib.9. Solymus apud Silium vulnerato patre ſic dolore angitur.

Siccine te nobis genitor fortuna reducit
In patriam? ſic te nato, natumq́; parenti
Impia reſtituit? Fœlix ò terq́; quaterq.
Frater, cui fatis genitorem agnoſcere ademptum.

5.Theb. Hypſipyle in morte Archemori apud Statium:

— Huc magno curſum rapit effera luctu
Agnoſcitq́; nefas, terraq. illiſa nocenti
Fulminis in morem. non verba in funere primo
Non lacrymas habet. ingeminat miſera oſcula tantum.

In Aulul. Euclio apud Plautum amiſſo auro:

Pe-

Perij, interij, occidi. Quò curram? quo
non curram? tene, tene.
Quem? quis? neſcio. nihil video, cæcus eo; atque
Equidẽ quò eam; aut vbi ſim, aut qui ſim
Nequeo cum animo certum inueſtigare.

Spes, Metus. Cap. XXXVIII.

SPes *eſt fidentia ex cogitatione inſtantis boni, mali vero vel non futuri, vel longe diſtantis*. Duo igitur ſpem alunt: opinio boni, breui, ſed cum difficultate acquirendi: opinio mali longè abſentis, & ſuperabilis; quæ potius confidentia eſt. hic vtrunque affectum permixto nomine complector. Spem faciunt abſentia pericula: præſentia vero quæ proſpera & ſalutaria habentur: facultas corrigendi errata: certa & ſecura præſidia, non illata, non accepta iniuria: remoti competitores, & aduerſarij, aut debiles, aut amici, aut dato, acceptoq. beneficio obligati: plures, & meliores inimicis amici. Spe facilè eriguntur diù proſpera vſi fortuna, quique grauia pericula, & caſus deuitarunt. Duo enim contraria ſpem inferunt, ac pellunt timorem: alterum, mali rudem *Ariſt. lib. 2. Rhet. c 5.*

eſſe,ex quo vis mali non percipitur: alterum,ſæpe fuiſſe expertum, & euaſiſſe; putantur enim ſemper adfutura præſidia. Præterea facile fidunt qui ſui ſimilium nihil timentium, aut etiam inferiorum exemplo roborantur: præſentibus muniti præſidijs, pecunia, militibus, opibus, amicis, conſcientia rectè factorum: pij erga Deum,putantesq. placatum ſibi precibus Numen, & iniuria vexatis opem laturum. Spem quoque addunt adiuncta, locus, tempus, occaſio. Contraria huic Deſperatio contrarijs nititur cauſis,diuerſosq. ab his homines inuadit. Neque de hac plura.

Ariſt. lib. 2. Rhet. c. 5. Metus *eſt Triſtitia, & perturbatio ex cogitatione imminentis mali dolorem, aut mortem inferentis*. Metus enim non tàm eſt futurorum, quam eorum horribilium quæ videntur adeſſe; ideoq. non timetur mors quia longe abeſſe creditur. Nec ſolum res formidabiles, ſed earum ſigna timentur; vt tempeſtatum: iræ, & inimicitiæ potentum: poteſtatem nacta prauitas, & virtus ludibrio habita. Porrò qui metuunt, & ipſi metuuntur: & qui non læſi, lædere tamen poſſunt ob lucrum, & pecuniam, vt conſcij ſecreti ſceleris, & cul-

culpæ : & qui poſſunt inferre iniuriam, qui intulerunt, qui acceperunt, vel putant accepiſſe : æmuli etiam, callidi, & diſſimulatores : firmiores opibus, aut etiam infirmiores, quibus deſperatio, & neceſſitas vim addit.

Iam verò procliues ad timendum ſunt, qui procliues ad malum ſe putant eſſe, ob inimicos fortiores, accepta incommoda, aduerſa tempora. At qui proſperis vtuntur rebus, inſtructi viribus, fortunis, amicis, contumelioſi, & audaces, nihil timent; vt etiam illi, qui grauibus iam oppreſſi malis ad alia obduruerunt. Sic enim capite damnatus, quid amplius metuat non habet : & cum metus ad conſilia ſalutis perquirenda homines impellat; vbi nulla ſalutis ſpes eſt, nihil conſilij relinquitur.

Confidentiam in Iunone Virgilius expreſſit : 7. *Aen.*

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta mouebo.
Nõ dabitur regnis, (eſto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lauinia cõiux;
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus :
At licet amborum populos excindere regũ:

 Hac

Hac gener, atque ſocer coëant mercede ſuorum;
Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere virgo.

Boni per ardua acquirendi ſpem idem Virgilius: 1. Aen.

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latiū: ſedes vbi fata quietas
Oſtendunt: illic fas regna reſurgere Troiæ.
Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

In Andr. Confidit ſeruus Terentianus:

Animo iam nunc otioſo eſſe impero.
—— Omnis res eſt iam in vado.

Idem deſperat. *—— Occidi*
Vtinam mihi eſſet aliquid hic quo nunc me præcipitem darem.

Deſperantis etiam verba ſunt:

2. Aen. *Moriamur, & in media arma ruamus,*
Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Timorem Oedipus præ ſe fert apud Senecam: In Oedipo.

Horrore quatior, fata quò vergant, timens
Trepidumq́ gemino pectus euentu labat.
Vbi læta duris mixta in ambiguo iacent:
Incertus animus, ſcire cum cupiat, timet.

In Troade. Apud eundem, deſperationem ſibi in metum conuerſam filij cauſa oſtendit Andromache:

Hic

Hic mihi malorũ maximũ fructũ abſtulit,
Nihil timere; proſperis rebus locus
Ereptus omnis: dira quà veniant habent.
Miſerrimum eſt timere, cum ſperes nihil.
Et paulò poſt:
Mihi gelidus horror, & tremor ſomnum excutit,
Oculoſq; nunc huc pauida, nũc illuc ferens
Oblita nati, miſera quæſiui Hectorem.
Sudor per artus frigidus totos cadit,
Omen tremiſco miſera feralis loci.

Ira, Manſuetudo. XXXIX.

IRa *eſt libido puniendi eius, qui videatur læſiſſe iniuria.* Ea nec dolore, nec voluptate caret. dolore, ob præteritam, qua læſum ſe aliquis putat, iniuriam: voluptate, propter ſpem vltionis. Accenditur autem in certum quempiam hominem, non vniuerſos; cum enim à contemptu (qui triplex, deſpectus, incommodatio, contumelia) deriuetur, non arbitramur ab omnibus contemni; & quia cum ſpe vltionis eſt, nemo iraſcitur alteri, à quo deſperet vltionem ſumere. Iraſcuntur autem ægrotantes, pauperes, amantes, & generatim quidlibet cupientes nacti impedimen-

Cic. 4. Tuſcul. *Ariſt. 2. Rh. c. 2.*

mentum; vt, quiſſitiunt, nè bibant: nec his minus iraſcuntur qui mala improuiſo referunt, vnde bona expectabant. Circunſtantiæ etiam iræ conueniunt; nam & tempus, & locus, & ætas, & affectiones, & perſonæ ad iram accendunt,

Iam ijs iraſcimur à quibus contemnimur; in ijs præſertim, quorum ſtudio tenemur. Sic exprobrare opificium artifici, venuſtatem mulieri, eruditionem ſapienti, periculoſum. Irridentibus, & contumeliam inurentibus, amicis præſertim: honorem vt ante nō deferentibus: ingratis: ſe ſe nobis indigne æquantibus: noſtro malo gaudentibus, moleſtis, iocantibus, erga nos obliuioſis: omnibus denique Ira rependitur, à quibus quoquo modo contempti iudicamur.

Ariſt. ibi. Manſuetudo *depreſſio, atque ſedatio eſt Iræ.* depoſita enim ſuſpicione contemptus, componitur animus, & ab Ira traducitur in aduerſam partem. Hæc Iræ ſubnaſcitur, cum conſtat iratis, eos, à quibus ſe læſos putant, aut non feciſſe, aut feciſſe inuitos: aut pœnituiſſe, & fateri: aut beneficio, aut humilitate, ac demiſſione animi contemptum compenſare (nam & Canes, repugnantes ſtanteſq. mordent,

præ-

prætereunt ſedentes. Mites quoque ſunt ijs homines, quos timent, aut maiore quàm expetebant pœna vident affectos. mites & tempus reddit, & ſumptum de alio ſupplicium: & mors eorum, quibus ſuccenſebant, & ſimilia. omnia vero ijs contraria, quæ Iram inducunt.

Iram in Ænea ſic depingit Virgilius: 2. Æn.

Exarſere ignes animo: ſubit ira cadentem
Vlciſci patriã, & ſceleratas ſumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis, patriaſq́ Mycenas
Aſpiciet? partoq. ibit regina triumpho?
Coniugiumq́ domumq́, patres, natoſq́ videbit
Iliadum turba, & Phrygijs comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine littus?
Non ita.

Idem in Didone ſic format: 4. Æn.

—— Proh Iuppiter ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit aduena regnis?
Non arma expedient, totaq. ex Vrbe ſequentur?
Diripientq́ rates alij naualibus? ite
Ferte citi flãmas: date vela: impellite remos.
Quid loquor? aut vbi ſum?

Tydeus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

2. Theb. Tydeus apud Statium ſic in Etheoclem accenditur:

—— Non vltra paſſus, & orſa
Iniecit medijs ſermonibus obuia. reddes
Ingeminat, reddes; non ſi te ferreus agger
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat. nil tela nec ignis
Obſtiterint, quin auſa luas.

Et hæc poëtæ crebro inculcant.

12. Æn. Mitigantis iram, & Manſuetudinis exemplar dedit Virgilius in Turno atque Ænea.

Ille humilis, ſupplexq́ue oculos, dextramq́ue precantem
Protendens: equidem merui, nec deprecor, inquit,
Vtere ſorte tua miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt, oro (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ
Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mauis,
Redde meis: viciſti, & victũ tendere palmas
Auſonij videre: tua eſt Lauinia coniux:
Vlterius ne tende odijs Stetit acer in armis
Aeneas voluens oculos, dextramq́ue repreſſit
Et iam iãq́ue magis cunctantẽ flectere ſermo
Cœperat.

Miſe-

Miſericordia, Indignatio. Cap. XL.

Miſericordia *eſt ægritudo ex malo alterius iniuria laborantis, quod à nobis, vel noſtrorum aliquo minimè ſit alienum.* Summè ergo fœlices, & infœlices non miſerantur: nam vtrique negant ad ſe malum pertinere; fortunati, quia bona nunquam putant amiſſuros: miſeri, quia paſſi vltima, grauius quidquam ſe paſſuros negant. Quare miſerentur qui malum putant ſe poſſe accipere, quique cum acceperint, euaſerunt. Huiuſmodi ſunt ſenes, imbecilli, natura pauidi, ſapientes, quique filios, vxores, conſanguineos, & caros habent: liberi alio vehementi affectu iræ, ac amoris; omnes denique vel affecti, vel commodis afficiendi. *Cic. 4. Tuſcul. Ariſtot. 2. Rh. c. 8.*

Notos autem maximè, ac neceſſitudine coniunctos; nec tamen nimis propinquos miſeramur. Eorum enim ingentia mala, noſtra ducimus; quare in eorum dolore, ipſo ſenſu dolere non poſſumus: Æquales etiam, ac ſimiles ætate, moribus, genere, dignitate præſenti malo preſſos, vel propinquo, vt pro præſenti habeatur.

Quæ enim multo poſt futura ſunt, vel ante præterita, non ſinit miſerabilia, niſi repreſentatione, atque imitatione vocis, veſtium, actionum, quod Poëtæ faciunt, fiant præſentia. In malis miſerabilibus numerantur morbi, mors, ſenectus, cætera, quæ natura homini ſuperueniunt: tum quæ fortè accidunt, vt vulnera, verbera, cruciatus, egeſtas, ſolitudo ab amicis, deformitas, imbecillitas, mutilatio corporis, ſtupor animi, inclinatio fortunæ, nec ſolùm mala, ſed etiam malorum ſigna miſerationem excitant.

Indignatio, quam Græci *νέμεσιν* dicunt, *eſt dolor perceptus ob res ſecundas alterius, qui illa fortuna iudicetur indignus.* Itaque vt miſericordia malum reſpicit: ſic indignatio bonum immerentis. quo diſcrepat ab Inuidia quæ bona digni etiam hominis inſectatur. Hunc affectum Superis attribui ſolere ſcribit Ariſtoteles. immo & Neměſim Deam veteres fecere, Iuſtitiæ nunciam ſiuè filiam *ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως à diſtributione, quæ vnicuiq. fit.* Cum ergo indignatio ſit aduerſus indignos, eſt de bonis fortunæ; vt, diuitijs, opibus, potentia, imperio: non autem naturæ, vt, nobilitate, & pulchritudine: aut ani-

animi, vt Iuſtitia, & Fortitudine. Nam nemo videtur bonis indignus, quæ Natura ſuo iure hominibus dilargitur: neque Virtus ad indignum deuenire poteſt, quæ ſtudio, & cura comparatur. Ad hæc quò recentiora illa fortunæ, quæ ab immerito poſſidentur, bona: quoquè meritis noſtris iudicatur inferior, eo magis augetur indignatio.

Indignationi obnoxij ſunt opulenti, ac diuites, ſi ſui diſſimiles, & indignos eadem bona conſequi videant. Probi, & iuſti, ſi improbos: cupidi honoris, ſi tardos, & ſtupidos gerere magiſtratum: omnes, qui ſuæ dignitati adſcribunt, quod ab alijs ipſorum iudicio indignis remouent. Quare hic affectus non eſt hominis praui, & abiecti, qui ſibi deberi nihil putat, ſed merentis, & ſuorum conſcij meritorum.

Hecuba ſic Priamum miſeratur apud Senecam. *In Troade.*

——— Ille tot regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flãma indiget
Ardente Troia.

Æneas apud Virgilium, recordatione Anchiſæ patris. *2. Æn.*

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Troiã incẽsã, & prolapſa vidẽtẽ

Per-

Pergama tot quondã põpulis, terriſq; ſupbũ
Regnatorẽ Aſiæ: iacet ingens littore trũcus
Auulſumq; humeris caput, & ſine nomine corpus.
At me tũ primũ ſæuus circumſtetit horror,
Obſtupui: ſubijt chari genitoris imago,
Vt regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: ſubijt deſerta Creuſa
Et direpta domus, & parui caſus Iuli.

Phar. ſ. 8. Lucanus Pompeium cæſa ceruice ſic miſeratur:

——— illa verenda
Regib⁹ hirta coma, & generoſa frõte decora
Cæſaries comprenſa manu eſt, Pharioq. veruto,
Dũ viuũt vultus, atq. os in murmura pulsãt
Singultus animæ, dum lumina nuda rigeſcunt,
Suffixũ caput eſt, quo nũquam bella iubẽte
Pax fuit, hoc leges, cãpũq; et roſtra mouebat.

Lib. 1. in Eutrop. Indignatio Claudiani in Eutropium illa eſt.

Cernite quem latijs poſcant adnectere faſtis
Cuius & Eunuchos puduit. Sed vilior ante
Obſcura latuit pars ignotiſſima turba
Donec abundanti furijs, qui rebus eois
Exitium, primumq; ſibi produxit ab imis
Euectus thalamis, ſummos inuaſit honores.

Et

Et alibi.

—— Spado romuleo ſuccinctus amictu 2. in Eutr.
Sedit in auguſtis laribus: vulgata patebat
Aula ſalutantum ſtudijs huc plebe ſenatus
Permixta, trepidiq; duces, omniſq; poteſtas
Confluit: aduolui genibus, cõtingere dextrã
Ambitus, & votũ deformibus oſcula rugis
Figere.

In eundem.

Omnia ceſſerunt Eunucho Cõſule mõſtra. 1. in Eutr.
Heu terræ, cœliq; pudor. trabeata ꝑ vrbes
Oſtentatur anus, titulũq; effœminat anni.

Idem in Ruffinum:

Quo veſane ruis? teneas vtrunq. licebit
Oceanum, laxet rutilos ſibi Lydia fontes,
Iungatur ſolium Crœſi, Cyriq. thyara:
Nũquã diues eris, nunquã ſatiabere queſtu

Inuidia, Aemulatio. Cap. XLI.

INuidentia (quod magis Ciceroni placet) *eſt dolor ex parium, & ſimilium bono, quod quiſpiam ab eis nollet, quia ſuam putat minui dignitatem, poſſideri.* Itaque ſummi non inuident infimis: nec ſuperiorum ætatum hominibus poſteri: neque incolæ, locorũ interuallo valde diſtãtibus: Nec qui alios longè ſuperant, aut Ariſt. l. 2. Rh. c. 10.

Q con-

conſtanti fama ſuperantur ab alijs. Eadem autem exercitatio, ſtudium, & opificium inuidiam nutrit: fœlix aliorum ſucceſſus, quo præſertim res noſtra deprimitur: poſſeſſio eorũ, quæ vel à nobis poſſeſſa ſunt, vel poſſideri debebant. Qua de cauſa in iuuenes inuidi ſenes perpetuò ſunt. Inuidi præterea qui bonis affluunt; hi enim, cum aliqua ſibi deſunt, alijs dolent adeſſe: geſtis rebus præclari, ac nobiles, honorabiles, ambitioſi, ſapientes; tributos enim alijs honores, & laudes eripi ſibi queruntur: demum abiecti anguſtiq. animo; aliena enim maiora fingentes, tanto ſe humiliores deſpiciunt.

Æmulatio è cupiditate, prauo ſcilicet trunco erumpit laudatum germen. Eſt autem æmulatio *ægritudo de bonis, quæ honeſta pares, noſtriq. ſimiles potiuntur, & nos potiri poſſemus: angit vero non quod illa poſſideant alij, ſed quod illis nos caremus*. Procliues ad æmulandum præſertim ſunt iuuenes ſublimes & cupidi, laudes, & decora æqualium æquo animo non ferentes: qui excelſa mente, egregiaque ſunt indole: qui ſectantur virtutes: qui præclaris ornantur bonis, opibus, amicitijs, populari gratia, magiſtratibus: qui gentili glo-

Ariſt. 2. Rhe. c. 11.

gloria, patriæq. perfruuntur. hi & ſua dignitate, & animi magnitudine aliorum fortunam, qua ſe non indignos putant, æmulantur. Cauſa æmulationis eſt excellentia, & admiratio boni, quod vtrique propter pares virtutes poſſet eſſe commune: conſcientia virtutis, ac meritorum, quibus aliorum gloria nititur. Quare obnoxia ſunt æmulationi, quæ maximè præclara: vt, virtus, doctrina, eloquentia, ſapientia, opes, honores, magiſtratus, gloria.

Inuidentiam inſinuat Cæſar loquens de Pompeio apud Lucanum. *Lib. 1. Phar.*

Ille reget currus nondũ patientibus annis?
Ille ſemel raptos nunquã dimittet honores?

Et deinde:

Quẽ tamen inueniet tã longa potentia finẽ?
Quis ſcelerũ modus eſt? ex hoc iam te improbe regno
Ille tuus ſaltem doceat diſcedere Sylla.

Eidem cauſas belli Ciuilis ſubminiſtrauit inuidentia.

—— *Stimulos dedit æmula virtus.* *Ibid.*
Tu noua ne veteres obſcurent acta trũphos
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne times: te iam ſeries vſuſq. laborum
Erigit, impatienſq. loci fortuna ſecundi:

Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſarvè priorem,
Pompeiusvè parem.

2.Theb. Eadem inuidentia ſtimulat Polynicem apud Statium:

——— Iſmenius heros
Reſpicere ad Thebas, & iam ſua quærere regna.
Quippe animum ſubit illa dies, qua ſorte benigna
Fratris, Echionia ſteterat priuatus in aula.

Lib.5. Æmulationem illa oſtendunt apud Virgilium.

Intenti expectant ſignũ: exultãtiaq; haurit
Corda pauor pulſans, laudemq; arrecta cupido.

Et illa.

Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant, vitãq. volũt pro laude paciſci.

Et illa. *—— & ora*

Prima Patrum magnis Salius clamoribus implet
Ereptumq. dolo reddi ſibi poſcit honorem:
Tutatur fauor Eurialũ, lacrymæq. decoræ.

6.Theb. Apud Statium.

Parthenopæus humo vultumq. oculoſq. madentes

Obruit,

Obruit, acceſſit lacrymarũ gratia formæ.
Pectora nunc mœrens, nunc ora indigna cruento
Vngue ſecat, meritamque comam.

Pudor, Impudentia. Cap. XLII.

PVdor eſt *dolor, ac perturbatio ex malis aut præſentibus, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferant.* Impudentia eſt *eadem parui ducere, & illis non affici.* Mala autem, quæ erubeſcimus, ſunt ea, quæ dedecori videntur eſſe; vt turpis fuga, iniuſtus queſtus, laboris impatientia, quem ſenes, ac debiles ferant, arrogans iactatio, obſcœnitas, beneficiorum exprobratio, priuatio bonorum, quæ pares habent; quæ cauſæ ſunt verecundiæ. *Ariſt. l. 2. Rhet. c. 6.*

Quia verò pudor eſt metus amittendæ exiſtimationis, verecundamur eos, quos magni facimus, à quibus honorem quærimus, nobiſcum habitantes, duros ad ignoſcendum, arcana detegentes, maledicos, ab eadem turpitudine liberos. Nemo autem eos vereri ſolet, quorum opinionem contemnit, aut vera dicere non putantur. Poſtremo ij capiuntur verecundia, quibus quæ dixi mala acciderunt, ijs præſentibus,

vel auditurіs, quos admirantur, & benè de ſe iam ſenſiſſe, ve' ſentire vellent.

Contraria pudori inpudentia, ijſdem in malis, & conſcijs ijſdem perſonis, hominem audacem obfirmat ſine infamiæ metu. Quare facile conſtare poteſt, quid de his dicendum.

2. *Æn.* Pudoris ſtudium profitetur Dido apud Virgilium.

Sed mihi vel tellus optẽ prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Erebi, noctẽq. profundã,
Ante pudor quam te violem, aut tua iura reſoluam.

Ibid. Et Iunonis in Venerem exprobratio verecundiam affert apud eundem.

Egregiã vero laudẽ, et ſpolia ampla refertis
Tuq puerq. tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo Diuum ſi fœmina victa duorũ eſt.

Et illa verecundiam excitant, quæ Turnus in Drancem eſt eloquutus:

—— *Meq. timoris*
11. *Æn.* *Argue tu Drance, tot quãdo ſtragis aceruos*
Teucrorũ tua dextra dedit, paſsĩq trophœis
Inſignis agros.
Imus in aduerſos? q̃d ceſſas? an tibi Mauors

Ven-

Ventoſa in lingua, pedibuſq. fugacib⁹ iſtis
Semper erit?

Impudentiam exprobrat Simo pater Pamphilo. *In Andr.*

Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Nũ eius color pudoris ſignũ vſquã indicat?
Adeon' impotenti eſſe animo?

Et victo Eutropio Claudianus. *Lib. 1. in Eutr.*

Ille tamẽ (q̃d enim ſeruũ, mollẽq; pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?)
Pro victore redit. peditũ vexilla ſequũtur.
Obuius ire cliens, defenſoremq. reuerſum
Complecti. placet ipſe ſibi, laxaſq; laborat
Diſtendiſſe genas, fictumq. inflatus anhelat.

Gratia. Cap. XLIII.

DVo Gratia ſignificat, beneficij collationem gratis factam: grati animi teſtificationem, & beneficium redditum. Gratiam priore ſenſu definiuit Ariſtoteles, *per quam, qui habet dicitur egenti gratis aliquid facere, non pro aliquo inde accepto, neque vt ſibi quidquam, ſed vt alteri comparetur.* *2. Rh. c. 7.* Hæc Gratia corrumpitur, ſi datur commodi cauſa, aut fortuitò, aut neceſſitate, aut non in loco, ac tempore,

aut quia fuerat acceptum quanuis fortè neſciretur. Magnum autem dicitur quod datur, quanuis re ipſa ſit paruum, ſi datur in tempore, loco, cæteriſq. circumſtantijs, ſi primò, ſi à ſolo, ſi vrgente calamitate, vel deſiderio capientis. Non enim tantum eſt indigens qui rem non habet, ſed etiam, qui vehementer expetit; cum appetitiones perinde ſint atque indigentiæ rerum. Gratuitus ergo amor, & dandi voluntas, & accipientis indigentia huiuſmodi Gratiam conſtituunt. Iam Gratia, quæ habetur propter ſuperatum malum, aut alterius ope adeptum bonum, etſi gratis non tribuitur, cùm aliquo modo debitum ſoluatur; tamen quia cum grati animi ſignificatione fit, Gratia eſt. Eſt autem *amor in beneficum, & voluntas, ac ſtudium rependendi beneficium*. Huic aduerſatur Ira, quæ deſiderium, ſpemq. vltionis includit, & infligendi mali. De his Ariſtoteles, & alij plura.

1. Æn. Gratiam habet Æneas Didoni apud Virgilium.

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaũ, terræq mariſq.
Omnib⁹ exhauſtos iã caſibus, omniũ egenos
Vrbe, domo ſocias. Grates perſoluere dignas

Non

Non opis eſt noſtra, Dido, nec quidquid vbique eſt
Gẽtis Dardaniæ, magnũ quæ ſparſa ꝓ orbẽ.
Dij tibi, ſiqua pios reſpectant Numina: ſiqd
Vſquã iuſtitia eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Pramia digna ferãt. quæ ſe iã læta tulerũt
Seculaꝛ qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbra
Luſtrabũt, cõuexa polus dũ ſydera paſcet,
Sẽper honos, nomẽq; tuũ, laudeſq; manebũt.

Quomodo concitentur Affectus. *Cap. XLIX.*

AD mouendos affectns, vt locis citatis oſtendunt poëtæ, notandæ ſunt, & diſtinguendæ perſonæ, quæ hac, vel illa perturbatione agitantur; vt ſenes timore: iuuenes iracundia: tum ea illis proponenda, quæ proprios ipſorum cient affectus; ſtatim enim in perſonis poëticis ſequetur artificioſa motio. Horribilia, quæ appropinquant, incutiunt metum. Ea cum videret Oedipus, ait,

Horrore quatior, fata quo vergant, timẽs, Sen. in
Trepidumq; gemino pectus euentu labat. Oed. Act.
Vnum è Græcis rediturjs iuſſerat ora- 2.
culum

Digitized by Google

culum ad aras necari. Imminente malo,

2. Æn. *Obſtupuere animi gelidusq. per ima cucurrit*
Oſſa tremor, cui fata parent, quem poſcat Apollo.

Contempſerat Drances iuuenem Turnum in conſilio, eiq. fugam exprobarat,

——— Dum Troia tentat
Caſtra, fuga fidens, & cœlũ territat armis.

Et metum hoſtis.

Aude, atq. aduersũ fidens fer pectus in hoſtẽ.

Et aliorum ſtragem.

——— Vt Turno contingat regia coniux,
Nos animæ viles, inhumata, infletaq; turba
Sternamur campis. Et rurſus metum.

——— Etiam tu ſi qua tibi vis
Si patrij quid martis habes, illũ aſpice cõtra
Qui vocat. Ab his iure expectari poterat.
Talibus exarſit dictis violentia Turni.

In perturbandis animis habenda eſt etiã ratio perſonarum, ob quas mouentur affectus; illis enim obiectis hi facilè ſuſcitantur. Sic viſo inimico ſopita exardeſcit ira. Æneas cùm ſtrato iam Turno parceret, repente balteum aſpexit, quem Turnus occiſo Pallante geſtabat.

Ille oculis poſtquam ſæui monimenta doloris
Exuuiasq; hauſit, furijs accenſus, & ira

Ter-

Terribilis: Tu ne hinc ſpolijs indute meorũ
Eripiare mihi?

Demum ad bene exprimendos affectus multum valet eoſdem animo altè imprimere. facile enim dolorem imitantur, qui dolent, & gaudium, qui gaudent. quod optimis poëtarum contingit; vt quemadmodum hiſtriones, cum ex aliquo grauiore actu perſonam depoſuiſſent, flentes egrederentur è ſcena: ſic illi de perturbatis mentibus ſcribere leni, ac remiſſo animo non poſſint. Nimirum hæc eſt poëtica inflammatio, & quidam afflatus quaſi furoris. *Quintil.* *Cic. 2. de Orat.*

De Dictione. Cap. XLV.

Dictio eſt animi interpretatio per verba ſiue ſoluta, ſiue numeris aſtricta. Sed Dictio poëtica carmen includit, quod varium eſt pro varietate poëmatum. Ea cùm multis diſſentiat ab Oratoria; non facile tamen eſt, illa, quibus diſſentit, adducere. Magis finitima hiſtoriæ, ab eadem, non metro ſolum, ſed alijs, quæ metri neceſſitas indulſit, longe abhorret. Ego quædam capita, quæ vim & proprietatem eius oſtendunt attingam. Alij plura forſ- *Ariſt. c. 4. poet.*

taſſe

taſſe obſeruarunt, vel obſeruabunt.

Primum eſt. Quæcunque de figurata conſtructione tradunt Grammatici, & ſchematibus, figurisq. dicendi à vulgari latinitate remotis, ea potiori iure vſurpant poëtæ.

6. Aen. Virgilius: —— *Titania pubes*
Fulmine deiecti.

Aen. 7. Idem: —— *Pars arduus altis*
Pulueruléntus equis furit.

Ecl. 8. Idem: —— *Nihil hic niſi carmina deſunt.*

Huc pertinet Helleniſmus, ſiue Dictio Græcis vſitata: *nuda gena*: *cætera Graius*: *abſtineto irarum*: *niueus videri*: & alia ſexcenta. Statius:

2. Theb. *Dij bene, quod tales ſtirpemq; animosq; venitis.*

Secundum. Propria poëtarum metaphora eſt: non ea ſolum, quæ propter ſimilitudinem tranſlatio, ſed quæcunque verbi à propria ſignificatione deductio. Quod paribus hiſtoricorum ſententijs clarius elucet.

Lib. 5. Curtius:
(Alexãder Araxi) põtem ſtrenuè induxit.

Aen. 8. Virgilius: —— *Ontẽ indignatus Araxes.*

Lib. 36. c. 15. Plinius: *Mare Tyrrhenum à Lucrino molibus ſecluſum.* Suetonius: *Portum Iu-*

In vita Augusti c. 16. *lium apud Baias, immiſſo in Lucrinum &*
Auer-

Auernum lacum mari Auguſtus *effecit*. Virgilius:

Quid memorem portus, Lucrinoq; addita clauſtra, 2. Georg.
Atque indignatũ magnis ſtridorib⁹ æquor,
Iulia qua ponto longè ſonat vnda refuſo
Tyrrhenusq; fretis immittitur æſt⁹ auernis?

Tanto eſt illuſtrior tranſlata dictio Poetarum. Cæſar: *Flumen eſt Arar, quod in Rhodanum influit incredibili lenitate.* Lib. 1. de bel. Gall.
Lucanus admirabili breuitate & euidẽtia. Lib. 3.

— Quà Rhodanus raptũ velocibus vndis
In mare fert Ararim.

Silius aliquanto fuſius. Lib. 3.

*Auget * opes ſtanti ſimilis, tacitoq. liquore* * Rhodanũ
Mixtus Arar: quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumq. per arua
Ferre vetat patriũ vicina ad littora nomẽ.

Plinius de Apibus: *Primùm fauos conſtruunt, ceram fingunt, hoc eſt domós, cellasq. faciunt, deinde ſobolem.* Virgilius: Lib. 11. c. 6. 4. Georg.

——— Ipſa regem, paruosq. Quirites
Sufficiunt, aulasq. & cerea regna refigunt.

Cicero: Vitem *ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne ſylueſcat ſarmentis, & in* De Senect.

& in omnes partes nimia fundatur. Virgilius:

1. Georg. *Ac dũ prima nouis adoleſcit frõdibus ætas*
Parcendũ teneris, & dũ ſe lætus ad auras
Palmes agit laxis per purum immiſſus habenis.
Inde vbi iam validis amplexa ſtirpibus vlmos
Exierint, tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde;
Ante reformidant ferrũ; tũc denique dura
Exerce imperia, & ramos cõpeſce fluentes.

Et cum Hyperbole:

Statius. ——— *Curſumq. minatur.*

Et Allegoria:

Virg. *Sed nos immensũ ſpatijs cõfecimus æquor.*

Tertium. Propria eſt poëtarum periphraſis, ſeu verborum circuitus, rerumq. deſcriptio, qua præſertim oratio efflore-ſcit. Actionis periphraſis: Ouidius:

2. Metam. *Illa forte die caſta de more puellæ*
Vertice ſuppoſito feſtas in Palladis arces
Pura coronatis portabant ſacra caniſtris.

6. Verr. Cicero: *Quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant.*

Loci. Virgilius:

Æn. 1. *Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum*

Effi-

Efficit obiectu laterũ: quibus omnis ab alto
Frangitur, inq. ſinus ſcindit ſeſe vnda reductos.
Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminiq. minantur
In cœlum ſcopuli, quorum ſub vertice late
Aequora tuta ſilẽt; tũ ſyluis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentiq. atrum nemus imminet vmbra.

Liuius: *Sinus eſt maris maximè Africo vento oppoſitus, & quingentos paſſus introrſus retractus paululo plus paſſuum in latitudinem patens. Huius in oſtio ſinus parua inſula obiecta ab alto portũ ab omnibus ventis, præterquã Africo tutũ facit.* Dec 3.lib. 6.

Perſonæ. Virgilius: 1. Aen.

Reſtitit Aeneas, claraq. in luce refulſit
Os, humerosq. Deo ſimilis. namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenq. iuuentæ
Purpureũ, & latos oculis afflarat honores.

Liuius de Scipione: *Præterquam quod multa maieſtas inerat, adornabat promiſſa cæſaries, habitusq. corporis non cultus munditijs, ſed virilis vere ac militaris: & ætas erat in medio virium robore, quod plenius, nitidiusq. ex morbo velut renouatus flos iuuentæ faciebat.* Lib. 8. dec. 3.

Tem-

Temporis. Virgilius:

Aen. 11. ——— *Nox humida donec*

Inuertit cœlum ſtellis ardentibus aptum.

Lib. 14. Ann. Tacitus: *Noctem ſyderibus illuſtrem dij prabuerunt.* Idem: *Inumbrante veſpera.*

2. Hiſt. Lib. 11. Silius: *Abſtulerat terras nigrantibus Heſperus vmbris.*

Demum liquidò conſtat: quod vitio eſſet hiſtorico, aut oratori pluribus perſequi, poëtæ addere elegantiam, & ornatum.

Quartum. Enargia, ſiue perſpicuitas, & euidentia: quæ res, de quibus loquimur, clarè vt cerni videantur, enunciat: & in plura genera diuiditur. Vnum genus eſt, cum tota rei imago exprimitur. Virgilius:

Quintil. lib. 8. c. 3.

5. Aen. *Ad terram fugit, & portu ſe cōdidit alto.*

Siue cum eadem claritas contingit ex ijs quæ rem antecedunt, vel comitantur:

Virg. 3. Aen. *At ſocijs ſubita gelidus formidine ſanguis Diriguit.*

7. Aen. —— *Dixit: preſſoque obmutuit ore.*

—— *Defixa Latinus.*

Obtutu tenet ora, ſoloq. immobilis hæret.

Lib. 6. Curtius: *Rex demiſſo in terram vultu, attonito, ſtupentiq. ſimilis ſtetit.*

Siue cum ad inferendam rebus lucem præclaræ adhibentur ſimilitudines; quæ

vix vnquam ab hiſtoricis: à poëtis rarò ad probandum, vt ſolent Oratores: ad exornandum vero, illuſtrandasq. rerum imagines crebrò vſurpantur.

Dirus per vrbes Afer vt Italas Hor. lib. 4. Od. 4.
Ceu flamma per tedas, vel Eurus
Per Siculas equitauit vndas.

Et cõparationes è fabulis, rariſſimæ apud Oratores. Statius: 2. Theb.

Nō ſecus ac ſupero pariter ſi cardine lapſa
Pallas, & aſperior Phœbi ſoror: vtraq. telis
Vtraq, torua genis, flauoq. in vertice nodo.

Siue cum circumciſa veritate, illico rem ponunt ante oculos. Virgilius: 3. Aen.

——— Iacuitq. per antrum
Immenſum. Lucanus: 1. Pharſ.
Et celſus in agmine Cæſar.

Quintum. Vſus Epithetorum, quæ appoſita dicuntur. Hæc familiariſſima poëtarum facit aut ſola conuenientia, magno tamen nitore, & elegantia dictionis: vt, Quintil. li. 8. c. 6.

Pura riuus aqua, dētes albi, flos purpureus.

Ariſtoteles: *In Poëſi decet album lac dicere: in oratione verò ſoluta nonnulla indecora ſunt: nonnulla ſi crebrius ponuntur, arguunt, ac patefaciunt modum poëticum.* Lib. 3. Rh. c. 3.

Aut minuēdi, augendiq. volūtas. Virgil. 1. Georg.

——— *Sæpe exiguus mus.* minuit.

Lib. 4. eleg. 4. Augent apud Propertium loquentem de Romulo.

—— *Non quem ſine matris honore*
Nutrit inhumana dura papilla Lupa.

Lib. 1. c. 1. Iulius Florus. *Lupa vagitum ſequuta vbera admouit infantibus, matremq. ſe geſſit.* Quanto pulchrius, & ſublimius poëta cum Epithetis?

1. Georg. Aut reſpectus fabulæ, vel hiſtoriæ. Virgilius ad Auguſtum:

—— *Cingens materna tempora myrto.*

2. Georg. Idem. *Poculaq. inuentis Acheloïa miſcuit vuis.*

Idem. —— *Duo fulmina belli Scipiadas.* Hoc ad hiſtoriam, & cum tranſlatione vehemens. Idem.

8. Æn. —— *Volitans argenteus anſer.*

Seruius. Vbi proprietas ineſt & tranſlatio. nam & *colore candidus: & ob memoriam ſeruati Capitolij, in eodem argenteus dedicatus fuerat.* Aut cauſæ, vel effectus, vt *Sol calidus, Pallida mors, Vinci dolentem creuit in Herculem.* Aut tranſlatio cum

Hor. od. 37. lib. 1. cauſa. *Fortunaq. dulci ebria* Aut euentus rei futuræ. Virgilius:

4. Georg. *Immanem ante pedes hydrum moritura puella.* Aut quiduis aliud, præſertim inſi-

inſinuans ſententiam vel argutiam.

Splendidè mendax,& in omne virgo Nobilis æuum. Hor.lib.3. od.11.

Quam ferus, & verè ferreus ille fuit. Tibul. ele. 10 lib.1.

Denique nihil epitheto carius poëtis, quod rarum alijs, vel frigidum, ſi frequens. Ariſt. 3. Rhet. c.3.

Sextum caput. Traiectio, & tranſpoſitio verborum propter metri neceſſitatẽ: qua vel turbata ſyntaxis, vel vocum conſtructio ab recto declinans ordine in eum eſt digerenda, vt germanus eliciatur ſenſus. Virgilius. Ecl.6.

—— Inijciunt ipſis ex vincula ſertis.

Saxa per,& ſcopulos,& depreſſas cõualles. 3.Georg.

Ouidius:

Vltor ad ipſe ſuos cœlo deſcendit honores. 5.Faſt.

Huc pertinet Hyperbaton,ideſt diuiſio,& tranſgreſſio verborum. Virgilius:

Iamq. adeo ſuper vnus eram. 2.Æn.

—— Leo per ouilia turbans. 9.Æn.

Septimum caput eſt. Anachroniſmus frequens apud poëtas; vt multa, quæ narrantur,ab alio tempore quo geſta ſunt,veritatem deriuent. Propertius: Lib.4. el. 4.

Stabant romano pila Sabina foro.

Vbi deinde fuit romanum forũ. Virgilius: 3.Æn.

Actiaq. iliacis celebramus littora ludis.

Quæ poſtea inſtituit Auguſtus: *Anſer in auratis porticibus*. quæ multo poſt inauratæ ſunt.

Cic. 3. de Orat. Octauum. Fabuloſa nomina, tanquam propria rebus accommodant, & Cererem pro frugibus, Liberum appellant pro vino, Neptunum pro mari, Curiam pro Senatu, Martem pro bello. Placita hæc & Oratoribus; qui tamen non dicerent:

1. Georg. —— *Vulcano decoquit humorem.*

Et pro aëre, ac terra Iouem, & Iunonem·

—— *Manet ſub Ioue frigido.*

2. Georg. *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium læta deſcendit.

Aut pro Sole Phœbum, Cynthium, Delium: pro Luna Triuiam, Hecaten, Phœbi ſororem. His accedunt Patronymica, Tydides, Pelides, Theſtias, propria poëtarum, quæ valent pro nomine. Ouidius:

Metam. 1. *Inde Promethides placidis Epimethida dictis Mulcet.*

Nonum. Frequens polyſyndeton, & que, crebro repetitum, quod reſpuit proſa oratio. Virgilius:

Æn. 9. *Fadumque, Hebetumque ſubit, Rhetumque, Abarimque.*

Præ-

Præterea antecedentem coniunctionem ſoli poëtæ poſtponunt. Virgilius:
Ceſſantem, longos & circumflectere curſus. *Æn.* 3.

Decimum. Multa illis commutare in vſu loquẽdi ius tribuit, quæ cæteros fermè vetat. Detrahunt ſyllabas vocibus.
Cingite fronde comas, & porgite pocula dextris. *Vir. Æn.* 8. Horatius:
Quæ mê ſurpuerat mihi. *Lib.* 4. *od.* 13.
Virgilius: *Æn.* 4.
Cum genere extinxem. Eaſdem addunt.
Fœtam Mauortis in antro Martis.
Eaſdem diſſoluunt. Tibullus:
Stamina non vlli diſſoluenda Deo. *Lib.* 1. *el.* 2
Adhibent verbũ pro verbo. Virgilius. *Æn.* 6.
Ingreditur linquens antrum. graditur, vacante præpoſitione: Seruius.
—— *Recalent noſtro Tiberina fluenta Sanguine.* calent: Cariſius.
Actiuum pro paſſiuo. Virgilius:
Siſtunt amnes. Ingeminant Auſtri. Siſtũtur, Geminantur. *l.* 1. *Georg.* — *Olim voluentibus annis.* *Æn.* 1.
Euolutis. Lucretius:
Multaq. per Cœlum Solis voluentia luſtra. *Lib.* 5.
Paſſiuum pro actiuo. Virgilius:
Bellantur Amazones. Nutritor oliuam.
Bellant. Nutri. Tempus pro tempore.
——— *Magnum ſi pectore poſſit* *Vir. Æn.* 6.

Epiſt. 5. *Excuſſiſſe Deum.* Ouidius.

Suſtines Oenonen deſeruiſſe Paris.

Genus pro genere.

Virg. 1. Geor *Aut oculis capti fodere cubilia talpa.*

Ecl. 8. *Cũ canibus timidi veniẽt ad pocula damæ.*

Timidæ; Seruius, Cariſius.

Prop. lib. 2. el. 51. Nomen pro nomine. Propertius:

— *Danai fœmina turba ſenis.* fœminea.

Nomen pro participio. Virgilius:

l. 1. Æn. *Hinc populum latè regem.* regnantem.

Vel cum inuerſo ſenſu, contra quam aiunt,

Stat. l. 2. eſt intelligendum. Statius:

Et Pallas deceat pharetras, & Delia criſtas.

Deceant Palladem pharetræ: criſtæ Deliam. Vel cum mutato ordine prius, quod

l. 1. Æn. poſterius eſt, refertur. Virgilius.

Æn. 2. *Et torrere parant flãmis, & frangere ſaxo.*

— *Moriamur, & in media arma ruamus.*

Denique quid impunè non audent?

Vndecimum. Cum ars poëtica inuentrix ſit, & machinatrix; noua quædam conſtructio, & machinatio non modo in rebus, ſed in verbis apparet; quippe quæ notæ & ſigna cogitationum, quid animus tacitè ſecum ipſe moliatur, oſtendunt. eo fit, vt in dictione nouitas, nitor, ſublimitas, ſuauitas, argutiæ, traductiones, annominationes, aliaque ſchemata eluceant.

Vir-

Virgilius. *Æneid. 4.*

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor arma armis. Idem. *Æn. 3.*
Longa procul lõgis via diuidit inuia terris.

Ouidius. *Nympha ſuo Paridi, quanuis ſuus eſſe recuſet.* *Epiſt. 5.*

Quæ tãto minor es: quanto te maximè rerũ, *Epiſt. 9.*
Quam quos viciſti, vincere maius erat.

Propert. *Lib. 4. el. 3.*

Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hac erit è lacrymis facta litura meis.

Ouid. *1. Triſt. el. 1.*

At nũc vt pereã, quoniã caret illa periclo,
Dimidia certe parte ſuperſtes ero.

Et alia innumera. Placent in clauſula verba Ciceronis. *Vt eſt*, inquit, *in Menalippa,* *3. Tuſcul.* *Florem quiſnam liberum inuidit meum, Male latine videtur. ſed præclare Actius. vt enim videre, ſic inuidere florem rectius quam flori dicitur. nos conſuetudine prohibemur. poëta ius ſuum tenuit, & dixit audacius.*

De Metaphora. Cap. XLVI.

QVoniam dictioni poëticæ nihil æquè ac Metaphora ſplendorem accerſit de ea ſeorſim pauca cognoſcenda ſunt.

In Poët. 20. ſeu part. 120. μεταφορὰ, definiente Ariſtotele, ἐςὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ: *Tranſlatio eſt nominis alieni illatio:* ſiue, vt alij vertunt, *ſubſtitutio*. *Madius.* Fieri hanc nominum mutationem intercedente ſimilitudine tum Philoſophus, tum Demetrius, ac Cicero præcipiunt; quæ tamen in definitione ſuppreſſa eſt, quoniam poëticæ inſtitutor vno Metaphoræ nomine comprehendit, quod alij deinde in alios tropos diſtribuerunt, præſertim Catachreſim, Synecdochen, Hypallagen. Secernuntur illi quidem à Metaphora; Nam Catachreſis eſt vbi nomen defuit: Metaphora vbi aliud fuit: Synecdoche, Metonymia partem pro toto, cauſas pro effectis, & alia aſſumunt; quæ quanquam preſſius accepta Metaphoræ non communicant; quia tamen poſthabita nominum proprietate vſurpant alienam, ad eius latiorem poteſtatem meritò reuocantur. Itaque Ariſtoteles definitioni Metaphoræ hæc eiuſdem quadripartita membra ſubiecit. *A genere ad ſpeciem:* Vt ferrum pro gladio. *A ſpecie ad genus:* Vt Pinus pro arbore. *A ſpecie ad ſpeciem:* Vt Solis incendium; quæ ab alijs tropis iure non ſepares. At quartũ cum ſimilitudine, & Proportione Sola ſibi aſtringit Metaphora:

Loc. cit. De eloquent. li. 3. de or.

Robort. l. c. poet.

Quint. lib. 8. cap. 6.

ra: *Quando* è quatuor nominibus *ſimiliter ſe habuerit ſecundum ad primũ, ac quartũ ad tertium; dicet enim pro ſecundo quartũ, vel pro quarto ſecundum*. Exemplum eſt, *Marti clypeus: Baccho phyala eſſe dicitur*. *l.3. Rhet. c.11.* Sicut ergo ſe *ad Martem Clypeus* habet, ſecundum ad primum: ita *ad Bacchum phiala*, quartum ad tertium; ideoq. transferendo *Clypeus phiala Martis*: *phiala clypeus Bacchi* dicetur. Quod ſane ponit ob oculos vim proportionis, & Analogiæ, quæ conſentit in aliquo, in aliquo diſſentit Mars enim cum Baccho: Phiala cum clypeo collati diſſimiles ſunt, neque fundant Metaphoram Sed clypeus relatus ad Martem, phiala ad Bacchum ita comparantur, vt quemadmodum clypeus Martis, ſic phiala inſigne ſit Bacchi. quo certe ſunt ſimiles: eoque fit, vt mutua permutatione nominum vnum transferatur ad alterum. Exemplo item ſint *Mare, tempeſtas: populus, tumultus*. Sicut ergo excitatur in mari tempeſtas, ita tumultus in populo: ideoque transferendo, *tempeſtas eſt tumultus maris: tumultus eſt populi tempeſtas*. eodem modo *in anno ver* conſideras, *iuuentutem in vita*: tũ permutãdo fiet tibi *iuuentus ver vita, ver iuuentus anni*.

Hine

Hinc illa reciprocantium ſe ſe mutuo tranſlationum proprietas: vt, qui dixerit *lacrymam oculi rorem*, dicturus etiam ſit *rorem lacrymam Cœli*. quanquam, admonente Demetrio, non omnes eam conuerſionem admittunt. Sic enim pronunciato, *Roma eſt oculus vrbium*, non iure conuertitur, *oculus eſt Roma membrorũ* Cuius rei cauſa, ſi aliquam quis afferat, maior erit minoruè ſimilitudo tranſlatis ſignificata nominibus. *Oculus* enim quia rem pulchritudine, ac dignitate inter corporis membra præcipuam ſignificat, ad Romam principem vrbium iure transfertur: At vox *Roma* vrbem notat inſignem antiquitate, magnitudine, imperio, populi frequentia, ſtructura ædificiorum: quæ oculi diſſimilia, efficiunt, vt oculus tranſlatè Roma non ſit. Par iudicium eſto de reliquis.

Cæterum ignobilitatem ſuæ originis ſplendore propagationis Metaphora illuſtrauit. *Eam enim neceſſitas genuit inopia coacta & anguſtijs: poſt autem delectatio iucunditaſq; celebrauit*. Orationem enim magnopere exornat, & auget: quam *peregrinam, dilucidam, & iucundam* facit. Peregrinitatem affert aſſumens aliunde quod non habeas, reſq. declarans non vſita-

Cic. 3. de or.

Ariſtot. 3. Rh. c. 2.

vſitatis proprijſq. nominibus. In quo *ingenij ſpecimen eſt, tranſilire ante pedes poſita, & alia longe repetita ſumere.* Delectat, & illuſtrat indens animo ſcientiã nouæ rei, quã cognita ſimilitudine perdiſcit. Audis enim ab aliquo, *Senectuté.* rem notã tenes. Audis *ſtipulam vitæ*. rei nouitate erectus, & hilaratus animus, vnde ſit acceptum videt: & ſenium cum frumento componens, agnoſcit vtriuſq. labentis viriditatem exaruiſſe. *Cic.lo.cit.* *Ariſt.3. Rh.c.10.*

Porrò ex his vitia virtuteſq. Metaphoræ licet aduertere. Primò enim ſit, vt Demetrius, *ἐκ τοῦ ὁμίου*, *è ſimili.* Cicero: *Primum fugienda eſt diſſimilitudo.*

Cœli ingentes fornices.

quamuis ſphœram in ſcenam (vt dicitur) attulerit Ennius, tamen in ſphœra fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe. Quid iam Tulli diceres? nam quid poëtis hodie Cœlum non eſt? organum menſura Mundi: volubilis chryſtallus: hortus ſtellis floridus: lucens campus fulgentium ferarum: ingens conuerſis rotis horologium. Vt nihil penè mitius, quàm fornices ex orbibus cæleſtibus habeamus. audires & *Solem luminum aurigam*. quod vtique ſimile diceres; ſi quemadmodum auriga currum regit, quo vehun-

vehuntur ciues: ita ſplendores in curru tãquam reges, auriganté Sole veherentur. Secundo. *Ducatur translatio non è longinquo, ſed è propinquis, & affinibus inter ſe rebus.* Cicero: *Videndum eſt, ne longè ſimile ſit ductum. Syrtim patrimonij: ſcopulum libentius dixerim. Charybdim bonorum: voraginem potius. facilius enim ad ea quæ viſa, quam ad ea, quæ audita sũt, mentis oculi feruntur.* Appellauit Tullius ad mentem Philoſophi propinqua, quæ communia, & nobis notiora ſunt, quod in ea omnes offendunt. Montem aut vallem facilè vidimus: Caucaſum, vel Tempe omnino pauci. Philiſtæum ergo gigantem illum rectius montem dixeris quam Caucaſum. Mons enim ſimilitudine eſt illi affinis, & notione proximus: Caucaſus tam ab oculis, quam à cognitione remotus. Si vndæ tibi ſunt marinæ Alpes, iuſtius Ouidio montes fuere.

Demet. de el. *Ariſt. Rh. l. 3. cap. 2. l. c.*

Me miſerũ quãti montes voluũtur aquarũ. (*l. 2. Triſt. il 2.*)

Quod ſi quædam locorum rerumq. ſingularum nomina nota adeo, & præclara ſunt, vt generatim, & vniuersè videantur ſignificare; illis vti ius erit. Talis Hybla, Tempe, pro loci amœnitate. Sic & Tullius Charybdim, Scyllamque pro voragine,

ne,& Scopulo vſurpauit.

Tertiò. *Ducendæ translationes ab ijs quæ pulchra ſunt,ſiue voce* ſiue vi, & poteſtate, ſiue aſpectu, ſiue alio quopiam ſenſu.* Ab omnibus enim ducuntur. *Nam & odor vrbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & dulcedo orationis ſunt ducta à cæteris ſenſibus:illa vero oculorum multo acriora, quæ ponunt penè in conſpectu animi, quæ cernere & videre nõ poſſumus.* Porrò ſuaues erunt translationes ſi res ab illis ſignificatæ ſenſus iuuant: moleſtæ, ſi lædunt: turpes, à quibus eſt deformis cogitatio ſimilitudinis. *Reipublicæ vomicas* de hominibus fœdis improbat Quintilianus. Nec alius probet *herbas febri ethicæ infectas: Mare in tempeſtate hydropicum: montes gelatis cruſtis leproſos.* hæc enim à noxijs petita iniucunda, & moleſta ſunt. In vituperationibus licet transferre à deterioribus. Ouidius:

Latrat & in toto verba canina foro.

Ariſt. lib. 3. Rh c.2.
** Notione, & Intellectu.*
Cic. l.c.

Quartò. Metaphora *nec multum excedat, nec tam leuis momenti ſit,vt rem non æquet, cui addicitur.* Cicero: *Nolo eſſe aut maius quàm res poſtulet, Tempeſtas comeſſationis: aut minus, Comeſſatio tempeſtatis.* Nam translatio ingeſta animo ſi-

militudine delectat:at in vtroque exemplo præ ſe diſſimilitudinem fert. Illæ etiam immodicæ: *Lacertus, ſæpium: anguis, ſylua fulmen: abies expilata ſuſpirijs*. Illæ deficiunt: *Sol carbo accenſus. Cœli Automedon*. Nam quanto grandius, Sol?

Aliæ ſunt proprietates Metaphoræ, quæ ad has ferme reuocantur. *Ne ſit obſcura*. Obſcuram iudicat Ariſtoteles remotam, & longè deductam: qualis illa, *Philoſophia agger, & propugnaculum legum*. plures continuatæ obſcuritatem creant, & Allegoriam, cum aliud dicitur, aliud intelligitur. minus lucis, & laudis habent plures diuerſi generis ſimul conglobatæ. Vt, *Fluctuat animus curis vulneratus, diuiditur, diſtrahiturq; nec ſe regere poteſt*. quid magis diſſolutum? Præterea *ne indecora ſint*, ſiue propter humilitatem comicam ad riſum mouendum: ſiue propter tumorem, & granditatem Prioris generis:

Lib. 3. Rh. c. 3.

— *Virga in tergo morientur meo*.

— *Dedolabo aſſulatim viſcera*. Poſterioris:

Aut nigrũ trepidis impingit Oriona nautis. Orion cauſa tempeſtatis.

Plaut. in Capt. In Menecb. Stat. 10. Theb.

Non ſint anguſtiores humilioreſq. proprijs, & ſuis verbis. Arua oſſibus veſtita: ſtrata potius. Ne ſint vulgares, & apertæ.

alij præcipiunt. Demùm optimæ ſunt Ariſtoteli quæ tribuunt ſenſum, & actionem inanimis. Seneca: *Lib. 3. Rh. c. 11.*

—— *Cupientem excuti* *Act. 4. Th.*
Haſtam ſolo defige. Virgilius:
—— *Pontem indignatus Araxes.*

Apparatus, & Melodia. *Cap. XLVII.*

HÆ duæ ſuperſunt qualitatis Tragicæ partes. *κόσμος τῆς ὄψεως, ornatus viſus*, ſiue *ſpectaculum*, ſiue *apparatus*, omnia comprehendit, quæ oculis ſpectantium ſubijciuntur: & eſt loci, vel perſonarum. Huius præfectus Choragus à Feſto dicitur, nec propriè ſpectat ad Poëtam. In loco Theatrum, Scena, aliaque huiuſmodi: in perſonis veſtimenta, & varius pro natura dramatis corporum ornatus. Theatrum hac tempeſtate nullum: vetus in ſemicirculi formam extruebatur, producti in cornua; inter quæ protenderetur ſcena, Theatri frons. reliquam caueam ſedilia ad capiendam multitudinem occupabant. Scena ab inumbratione, ſiue vmbraculo dicta. id ſignificat σκηνὴ græcè, quòd in opacis nemoribus paſtores carmi-

Caſſ.lib.4. var.ep.ult. na vere decantarent. Scenæ iungebatur proſcenium, locus ante ſcenam: & proſcenio demiſſior Orcheſtra ad Chori ſaltationes, & cantus, in qua pulpitum, ſiue ara. ſub pulpito hypoſcenium conuerſum ad Theatrū ſignis, & columnis ornatum. Supra ſcenam podium, ſiue epiſcenium. In ſcena duæ aræ; ſiue altera in Orcheſtra, altera poſt ſcenam Baccho, & Deo, cui fiebant ludi. In aris flores, & Coronæ. Circa ſcenam Ianuæ tres è quibus prodibant verſatiles machinæ. Scena item triplex, Tragica, Comica, Satyrica. Hæc arbores, montes, ſpeluncas: comica modicas, & priuatas ædes: tragica regias, & marmorea tecta continebat. Romanus ordo aſſidendi Cæſarum principatu, vt ego varios apud auctores obſeruaui, hic erat. Senatores in Orcheſtra (ideſt in primis ſedibus, pari cum Orcheſtra, altitudine poſitis) interdum laureati cum gentium, ac fœderatarum Ciuitatum legatis: proximis decem, & quatuor ordinibus Equites Romani: reliquis gradibus promiſcua plebs: aſſidente ludis pro cuſtodia militum cohorte, quam Nero demouit. Certos cuneos pueri prætextati cum pedagogis fecere. in ſummo fœminæ locatæ. Spectabat

Pol.lib.4. c.19.

Tac.l.13.

bat

bat è podio, & proſcenij faſtigio Cæſar: ſecreti à cæteris Conſules, ac Prætor: cum virginibus Veſtalibus Auguſta. Statuæ inter ſedilia diſpoſitæ, & crocati vini occultas fuſi per fiſtulas odorati fontes. vela carbaſina, aut Cœli colore ſtellata obtenſa Theatro ſericis rudentibus ad defendendum Solem. Interdum ad lumina noctu peracti ludi: dona populo largè diffuſa.

Altera pars apparatus ſpectat ad perſonas; habitus nempe oris, & corporis. Veſtitus tragicus nobilior, Comœdiæ vilior. illi ſunt diademata, ſceptra, veſtes purpura auroq. contextæ, ſyrmata, trabeæ, chlamydes, altior craſſiorq. cothurnus. In Comœdia tunicæ, penulæ, pallia, togæ, ſocci rudes, vileſq. Vultus fœcibus minioq. primò peruncti, tùm folijs herbarum grandioribus, poſtremo laruis ſimulatiſq. vultibus tecti. Sic Suetonius ſcribit, Neronem Tragœdias cantaſſe perſonatum Heroum, Deorumq. item Heroidum, ac Dearum perſonis effictis ad ſimilitudinem oris ſui, & fœminæ, prout quanque diligeret.

Iul. Poll. li. 4. c. 19. Scalig. lib. 1. cap. 13. poet. & deinceps. In v. Ner. c. 21.

Melodiæ cura penes Choragum item erat. eius olim varia genera. Doricum graue, Aeolicum exultans, & tumidum:

Ionicum conciſum, & molle. Phrygium incitatum, Lydium remiſſius. Cæterum non modo cantibus intermiſſa recitatio, ſed etiam integræ Tragœdiæ decantatæ. Præterea tibiarum, ad quas carmina, præſertim chori canebantur, duo genera fuere. Phrygium, ac Serranum. Phrygiarum tibiarum nonnullæ modo dextræ, modo ſiniſtræ. Dextræ, quæ foramen vnicum haberent: ſiniſtræ, quæ duobus eſſent foraminibus diſtinctæ. Quanquam Diomedes tibias pares, & impares videtur numero definire. Serranæ, quæ ſiniſtræ & pares, ideſt æquales cauernis fuere, proindeq. parem cõcentum emittebant; ideò ſic appellatæ, quoniam ijs ſaltatores proferre, ac referre pedem continuò iubebantur, veluti ſectores, qui ſerra adacta ligna diuidunt in partes.

Scal. lib. 1. poet. c. 19.

Scal. lib. 1. poet. c. 20.

Partes Tragicæ Quantitatis. *Cap. XLVIII.*

Ariſt. c. 10. poet.

NVnc ad partes, quibus nititur moles poëmatis, propriæq. Tragœdiæ ſunt. Quatuor autem traduntur. Prologus, Epiſodium, Exodus, Choricum: ſiue vt alij, Protaſis, Epitaſis, Cataſtaſis, Cataſtro-

ſtrophe. Alia partitione diuiditur Tragœdia in quinque Actus, qui Choris interiectis ſeparantur. Prologus igitur eſt pars integra Tragœdiæ ante ingreſſum Chori. Quare primum totum actum complectitur: diciturq. Prologus, quia eſt veluti ſeminarium quoddam totius fabulæ; & in eo ſeries rerum gerendarum adumbratur. Neque Tragœdia alio indiget Prologo, ideſt argumenti expoſitione ante primum actum, vt Comœdia.

Exodus eſt iuſta pars Tragœdiæ, poſtquam nullus eſt Chori cantus. Hic totus eſt quintus Actus in quo fabula ſoluitur. Iam quidquid inter Prologum, & Exodum continetur, Epiſodium dicitur: ideſt, tres Actus intermedij. Eſt enim Epiſodium iuſta pars Tragœdiæ inter omnes Choricos cantus. Hi vero tres Actus dicuntur Epiſodium non quia ſint extra fabulam (quod ſignificat Epiſodium) ſed quia in his collocantur Epiſodia, & parerga coniuncta fabulæ, nec tamen neceſſaria; quod non licet in Prologo, & Exodo; nam in eo proponitur: in hoc ſoluitur fabula.

Tribus hiſce partibus non omnino reſpondent Protaſis, Epitaſis, Cataſtaſis, Ca-

taſtrophe. In Tragœdijs, quæ Prologum ante primum Actum non habent, Protaſis idem erit cum primo actu. In Comœdijs quia pars eſt, in qua incipiunt, diſponunturq. negocia, extra primum actum fortè ſubducetur. Epitaſis, in qua turbæ aut excitantur, aut intenduntur; ideſt in qua cœpta actio varijs vtrinque actorum ſtudijs miſcetur, agiturque: Cataſtaſis videtur eſſe ſtatus fabulæ, cum res ita inter ſe implicitæ cohærent, vt ſtare neque ad exitum tendere videantur. *Hanc*, inquit Scaliger, *multi non animaduerterunt, neceſſaria tamen eſt*. At Delrius putat reduci ad Epitaſim, quod mihi placet. Cataſtrophe eſt rerum conuerſio, ſiue in bonam, ſiue malam fortunam. Sic Epitaſis, & Cataſtrophe Epiſodio, & Exodo ferè reſpondent. Quanquam Cataſtrophe apud nonnullos interpretes ſignificat etiã fortunæ aduerſæ incipientem conuerſionem, quod tertio fit actu in Tragœdia. Monuerim poſtremo, quoniam veteris Tragœdiæ primus actus vna ferme ſcena finiebatur, egrediente Choro: nunc vero in plures ſcenas diuiditur; non abſurdum eſſe, ſi prima ſcena Prologus habenda ſit, rerum gerendarum ſeriem obſcure euoluens:

lib. 1. poet. c. 9.

In proleg. ad Sen. c. 4

uens:

uens: reliquæ primi Actus ſcenæ potiùs ad alteram partem ſpectent, nempe Epitaſim: quanuis nondum egreſſo Choro.

De Actibus Fabulæ. Cap. XLIX.

Difficile eſt cauſam afferre cur præceptum fuerit.

Neve minor quinto, neu ſit productior actu Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi; nisi cauſam fecerit conſuetudo. Nam cur diuiſa fuerit in plures partes origo fecit. Cum enim Tragœdia orta fuerit à Dithyrambis, perſonæ loquẽtes interiectæ Choro ſpatianti, concinentiq. circa aram, actionem diuiſere. Sed cur in quinque partes, nec plures, nec pauciores? Non deſunt qui dicant, & quatuor eſſe poſſe, modò expleant iuſtam magnitudinem fabulæ: Lambinus obſeruat à Marco Tullio, & probatis ſcriptoribus tertium, quartum, & extremum actum commemorari, quintum non item. Ille enim ad Q. Fratrem, *vt hic*, inquit, *tertius annus* Præturæ *tanquam tertius actus perfectiſsimus, atque ornatiſsimus videatur.* De Verre autem, *qualis iſte in quarto actu improbita-*

Hor. in Arte.

Aelius Donat. aut qs alius in comment. Terentij.

Loco cit. Hor.

4. Verr. Fuerat enĩ Queſtor, Legatus, Prætor vrbanus, tum Sicilia.

tis futurus eſſet. Verum in his locis ſignificat Tullius actum fabulæ eſſe perfectiſſimum qui maxime ad finem accedit. Extremum vero actum pro quinto vſurpari quis dubitet? Quinque enim in fabulis recte ſeruari neminem fugit. Sed cum varia ſit Tragœdiæ, Comediæq. partitio; ex vna tres, ex altera quatuor, ex tertia quinque conſlantur partes. Nam ſi ſolam fabulam ab hiſtrionibus recitatam intelligas, diuiditur in tres, Prologum, Epiſodium, Exodum. Si choros fabulæ adiungas, cum chorico partes erunt quatuor: & Tullius modò tres, modò quatuor, eaſdemq. actus nominare potuit. Eſt enim Actus pars fabulæ continens diuerſas actiones. Poſtremo ſi fabulam non per actorum negocia, fortunæq. conuerſionem, ſed per quædam temporis interualla ſeiungas, quinque compones actus. Quæ quidem fabula demptis, additisvè choris quinquepartita perinde erit, quaſi nihil adderetur, aut demeretur. Sic Comœdia ſine choris: Tragœdia cum choris quinque habent actus; & ita ſcrupulum Lambino euellimus.

Cal. Rhod. lib. 19. cap. 21.
Scal. lib. 1. poet. c. 9.

Sed cur quinque tantum fuerint, cauſa referenda eſt in poëtas, quibus hæc partitio primum placuit, deinde poſteris; ſanciuit

ciuit enim lex, quod primi auctores probarũnt. Hi autem fortaſſe hominum vitam adumbrare voluerunt, quæ ſcitè admodum comparatur cum fabula. Quare vitæ fabulam, actum primum, aut poſtremum agere dicimus, vt rectè Apuleius de Comico poëta, qui daturus in theatro fabulam, repente interierat. *Renunciauere*, inquit, *Philemonem poëtam iam domi veram fabulam conſummaſſe*. Vita autem hominis antiqua diuiſione in quinque partitur ætates: quindecim annis in ſingulas diſtributis, præter vltimam ſupra ſexaginta, quæ modo plures, modo pauciores habet. *Lib. 3. Florid.*

De Choris. Cap. L.

CHorus eſt pars Tragœdiæ inter actum, & actum cum concentu. Neque enim propria pars eſt fabulæ, cùm fabula ſit pars qualitatis, chorus autem quantitatis. Et in fine lugubris interdum cantus, choricis, & actoribus communis, non chorus, ſed *κόμμος*, *lamentatio* eſt ſine conuerſione, & motu. nam poſt Exodum, ſiue vltimum actum nullus eſt chori cantus.

Inducendi chori origo eadem eſt, quæ inueniendi, diuidendiq. dramatis. Perpetuo enim circa aram Deorum choro interiectæ perſonæ drama ſtatuerunt: retentumq. chorum diuiſerunt. Hic autem ſemper actus in Tragœdia, extenuatus primo in Comœdia, poſtremo reiectus eſt; vrgente videlicet diuerſitate vtriuſque poëmatis; grauitatem enim, ſeueritatemq. Tragœdiæ choricus concentus temperabat: idemq. ridiculam, iocoſamq. Comœdiæ voluptatem minuebat. Quare ne moleſtiam afferret, tandem chorus ſublatus eſt è Comœdia: correctus idem in Tragœdia, repudiata laſciuia ſatyrorum, qui veterem chorum agebant.

Iam verò choricæ perſonæ ex quauis ætate, officio, ſtatu, ſexu deliguntur. vel enim vrbanæ ſunt, vel ruſticæ: pueri, adoleſcentes, viri, ſenes, puellæ, matronæ, ciues, peregrini, ſerui captiui, milites: nubes etiam, ranæ, veſpæ. Sed puerorum chorus olim videtur fuiſſe frequentior, cum Ædiles Athenis crearentur ad ſubminiſtrandos ſumptus alendis puerorum choris. Choricæ perſonæ ante Æſchilum quinquaginta fuere, ſed ille cum productis quinquaginta furijs Theatrum conſternaſſet

L. Victor. in libello de Comœdia.

ſet

ſet pauciores lege decreti ſunt. Quindecim fuere ſub Æſchilo, vel vt alij ſcribũt, duodecim; poſtea tribus à Sophocle adiectis, & ad noſtra vſque tempora nec duodecim pauciores, nec plures quindecim adhibiti ſunt. Nos tamen quinquaginta, in Romanam ſcenam produximus; cùm, præ cæteris lætitiæ argumentis, cothurnis ſacris proſcenia perſonarent, adſcitis inter ſanctos Ignatio Loiola, & Franciſco Xauerio. Cęterùm Iulius Pollux tragicum chorum quindecim fuiſſe tradit: Comicum, vigintiquatuor: ſed interdum dimidiato numero, ſemichorum duodecim factum. At forma chori in procedendo duplex erat; altera per *στοῖχον ordinem:* altera per *ζυγὸν iugum*, quorum cauſam nominum explicat Scaliger. Ordo erat, cum tribus quaſi lineis & ordinibus gradiebantur quinì chorici.

Lib 4. Onomaſt.c.15.

Lib.1.poet. c.9.


o o o
o o o
o o o
o o o
o o o

Iugum, cum terni quinos ordines exprimebant.

Quem

o o o o o
o o o o o
o o o o o

Cap. 7. Prolegom. Quem morem quindecim cum perſonis cœpiſſe putat Delrius. Quod ſi alij formam tetragonam choro tribuunt, his non repugnant; nam quatuor latera tàm ordo, quam iugum habet. Cyclicos autem choros alij ſolũ fuiſſe Dithyrambicos docent, alij etiam Tragicos.



Alia ſchemata Tarq. Gallut. c. 14. de Tragœdia. In choro præcedebat Choriphœus ſequentibus choricis: qui ſi peregrini fuiſſent à dextro ſcenæ latere prodibant: ſi vrbani à ſiniſtro. & obſeruatum eſt choricos ante cantum, & ſaltationem interdũ alloquutos fuiſſe perſonas Tragicas in ſcena manentes, eaſdemq. loquentes audiſſe. *Robortell.* Concinentes autem primum mouebantur in læuam, quæ conuerſio στροφὴ: tum à ſiniſtra in dexteram eadem penè veſtigia relegentes, quæ ἀντιστροφὴ dicta

dicta eſt. tum conſiſtebant, terræ ſtatum, & quietem repreſentantes. Nam priore motione cęli motum, quod ab oriente fertur in occaſum, referebant: poſteriore, Planetarum, conuerſionem, qui ab occaſu feruntur in ortum. Quod canebatur in ſtropha ᾠδὴ: quod in antiſtropha ἀντῳδή: quod in ſtatu ἐπῳδὸς, dictum. Præterea tradente Ariſtotele, variantibus interpretibus, chorus diuiſus eſt in πάροδον, *mobilem*, & στάσιμον, *ſtabilem*, qui careat Anapęſto, & Choreo. Parodus autem (vt cætera omittam) eſt chori cantus cum graderetur: Staſimus, cum conſiſteret. ille Odam, & Antodam, hic Epodon comprehendit. Vel Parodus eſt primus chorus poſt Prologum: Staſimus, vltimus ante Exodum. De intermedijs choris non agitur, quia his nulla pars Tragędiæ terminatur. Epiſodium enim eſt inter Parodum, & Staſimum. Vtraque apta interpretatio. *Victorius.* *Madius.* *Alexand.*

Poſtremo Chorus non modo canentis, ſed etiam loquentis partes agit, ſuadet, monet, laudat virtutes, improbat vitia, preces fundit. modo autem vnus pro omnibus: modo plures, vel omnes vna tanquam voce loquuntur. De huius officio chori Horatius: *In arte poet.*

Acto-

Actoris partes chorus, officiumq; virile
Defendat:

Vltimo ſupereſt κόμμος, luctus chori cum actoribus communis, non tamen ſemper adhibitus. ideo Chorici poſt vltimum chorum non diſcedebant, ſaltem omnes è ſcena, identidem cum hiſtrionibus loquentes. Et potuiſſe quidem ibi ſemper manere; diſceſſiſſe tamen, & ſæpè reuertiſſe conſtat.

Breuis Periocha Tragici artificij. *Cap.* L.

TRagœdia eſt Poëma dramaticum imitans illuſtres perſonas à ſecunda fortuna tranſeuntes in aduerſam, vt mitiget humanos affectus. Eius argumentum verum ſit; poteſt tamen eſſe fictum. Perſona Princeps quinque proprietatibus munita, ſit genere illuſtris: inter probas, & improbas media: errore aliquo, vèl non ſuo, obſtricta: in calamitatem præceps: vna & ſimplex. Quod ſi mediæ copia non ſit, reiecta improba, adhærendum eſt probæ; hæc enim in miſeria miſericordiam præbet: non illa, quæ pœnam meretur. Duplicis generis partes habet Tragœdia,

dia, Quantitatis, & Qualitatis. Quantitatis varia partitione ſunt tres, aut quatuor, aut quinque. Tres: Prologus, Epiſodium, Exodus. Prologus pars ante primũ chorum, in quo quid agendum ſit proponitur. Epiſodium ante vltimum, in quo perturbata res agitur. Exodus poſt illum, in quo fabula ſoluitur. quibus alio nomine fermè reſpondent Protaſis, Cataſtaſis, Cataſtrophe. Chorus his tribus partibus adiũctus quatuor efficiet. Quinque partes sũt actus in ſcenas diuiſi: qui nec plures ſint, nec pauciores. Qualitatis autem ſunt ſex Fabula, Mores, Sententia, Dictio, Apparatus, Melodia. duæ poſtremæ ad Choragum pertinent, quarum prima ſcenam, & actores adornat: altera Muſicam parat: reliquæ poëtis tractandæ. Fabula, quæ tota inuentionem ſibi poëticam vendicat, eſt compoſitio negotiorum, & octo proprietates complectens, Implexa eſt, Veriſimilis, Tota, & Integra, Iuſtæ magnitudinis, Vna, Epiſodica, Admirabilis, Pathetica.

Implexio fabulæ Peripetiam, Agnitionem, ac Perpeſſionem habet. Peripetia mutatio eſt in contrarium, cùm proſperis aduerſa, aut his proſpera ſuccedunt. Agnitio

tio eſt mutatio ex ignoratione in cognitionem, cùm videlicet aliquis perſonam agnoſcit, quam ante ignorabat. Hæc neceſſaria Tragœdiæ non eſt, ſed magnum decus, & admirationem addit. Eſt etiam Agnitio facti, cum quis malum feciſſe videt, quod bonum putabat. Hæc ſi deſit, vt in Atreo, aſperum, horrificum, & indignatione plenum eſt. Peripetia neceſſaria eſt (niſi tota Tragœdia pathetica ſit, ac referta doloribus, cum ſaltem Cataſtrophe exhibetur) & affert ſecum Perpeſſionem, & dolorem. Perſonæ, quæ mutationem, & malum ferunt, cognatæ, amicæ quæ ſint; ſed deceptæ, ac per facti reiq. ignorantiam agant. Veriſimilis eſt fabula, cum eſt credibilis. Tota, & Integra, quæ initium medium, & finem habet. Iuſtæ magnitudinis, quæ actionem vnius diei complectitur. Vna, vnius actionis, quanuis plurium perſonarum. Epiſodica, cui aduentitium aliquid, ſed veriſimilitèr adiungitur. Admirabilis, inexpectatis euentibus. Poſtremò, Pathos, perturbationem, & dolorem habens ſuomet contextu diſſoluitur. At Mores, morata eſt oratio, indicans hominum voluntates, quibus vitia virtuteſue ſectantur; hæ enim deinde mo-

res

res imprimunt. Sententia demonſtrat animi iudicia facta per Affectus, ac perturbationes: nam cum his variè iudicamus iiſdem de rebus, & ad eoſdem concitamus. Affectus autē Tragici incitati ſunt, ac vehemētes. Dictio eſt ipſa loquutio, phraſiſq. poëtarū elegans, & grauis in Tragędia. Fabulæ accedunt Chori actibus interpoſiti. Demū Tragœdiæ nomen imponitur vel à loco, vt Troas: vel à primaria perſona, vt Hippolytus: vel à ſecunda, & Electra: vel à Choris, vt Phœniſſæ; vel aliūde deſumitur.

De Comœdia, & primum de eius nomine, & origine. *Cap. LI.*

COmœdiæ nomen ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, καὶ ἄδειν deriuatum volunt, quod eſt *comeſſari, & canere*. Nam nondum coactis in vrbem Athenienſibus cū Apollini Paſtorum Deo ſacra facerent, circum villas, & pagos comeſſantibus, & laſciuientibus choris carmen decantabant. ex quo deinde Comœdia defluxit. Itaque vt placet L. Victori κωμωδία, quaſi κωμαζωδία, nempè *comeſſantium hominum can-*

In libello de Comœdia.

Scal. lib. 1. poet. c. 5. *cantilena* eſt. Negant hanc originem Comœdiæ alij, multoq. poſt decantatum Apollini Nomio per vicos fuiſſe carmen arbitrantur; dictam autem Comœdiam παρὰ τὴν ᾠδὴν, καὶ τὰς κώμας. quod *decantans per pagos Iuuentus excurreret.*

Cap. 7. poe. Vtranq. Diomedes etymologiam admittit. poſteriori fauet Ariſtoteles, qui ait, *Megarenſes, tam Attica, quàm Sicilia incolas inuentionem ſibi vendicaſſe Comœdiæ*; tum quia Epicharmus Siculus Megarenſis omnium antiquiſſimus Comœdiam ſcripſerit ante poëtas Athenienſes: tum quia Comœdia ἀπὸ τῶν κώμων *à vicis* dicta ſit, non autem κωμάζειν *comeſſando*, quod volebant Athenienſes. quæ ſi vera ſunt, Comœdiam à paſtorum Athenienſium incomptis inter ſacra verſibus fluxiſſe putandum non eſt. plura Interpretes.

Definitur Comœdia. *Cap. LIII.*

In Comm. Terentij. COmœdia, vt Ælius Donatus, *eſt priuatorum, & ciuilium negotiorum citra infœlicitatem complexio*. à Lucio Victore dicitur *Poëma demulcendis hominum mentibus, excutiendiſq; cachinnis accom-*

ccm-

Digitized by Google

commodatum. A M. Tullio *imitatio vitæ, ſpectaculum conſuetudinis, Imago veritatis*. Putant alij Ariſtotelem definiſſe Comœdiam, vbi ait, *eſſe peiorum imitationem*, ὀυ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλά τοῦ αἰσχροῦ ἐςὶ τὸ γελοῖον μόριον. *non ſecundum omne vitium, ſed ſecundū ridiculum, quod eſt turpitudinis particula.* Alij negant. certè nulla, finis, atque inſtrumentorum ibi fit mentio. Antonius Riccobonus immutatis paucis verbis ſic definit. *Eſt imitatio; quæ fit metro, ſaltatione, harmonia, modo dramatico in materia eius vitij, quod riſum mouet*. Quæ etiam definitio manca eſt. Quid enim, dicet aliquis, ſi hæc imitatio fiat in illuſtri perſona? quid ſi tendat ad infœlicitatem? an erit Comœdia? Hanc ego imitatus Ariſtotelem in definitione Tragœdiæ, ſic definio. *Comœdia eſt imitatio deterioris actionis in eo vitij genere, quod riſum mouet, metro, ac dramatico modo, quæ Spem, & Gaudium inducendo huiuſmodi affectus moderatur*. Dicitur, *Imitatio deterioris actionis*, ideſt actionis deteriorum, ac viliorum hominum: in quo diſtinguitur ab alijs formis poëſeos, quibus haud conuenit vitia imitari ad riſum excitandum.

Robortell. Alexand. In diſp. de re Com.

Metro, ac dramatico modo: quo diſſentit ab Epopœia, & Lyrica, conſentit cum Tragœdia. Metrum autem commune omnibus ſi deſit, Poëſim corrumpet. (*Spem, & Gaudium inducendo*, proprios Comędiæ affectus, ex dubia primum, poſtremo ſecunda fortuna promanantes. Spes enim tendit in bonum difficile acquiſitu. quod primo exprimit omnis actio comica, & in fine Gaudium; quæ de eiuſdem boni poſſeſſione voluptas eſt, *huiuſmodi affectus moderatur*. huius enim finis non eſt riſum ciere, vt quidam falſo tradunt, ſed per delectationem iuuare, vt iuuant aliæ ſpecies poëſis. Harmoniam autem & Rhymum in definitione prætermiſi; quia etiam apud veteres defecerunt, neque vſurpant in Comędijs.

Quod ſit Vitium ridiculū Comœdiæ imitandum. Cap. LIV.

Cap. 2. poc. ITà de hoc Ariſtoteles: γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι, καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν. *ridiculum eſt peccatum aliquod, & turpitudo ſine periculo, & non interimens*; vt deformis facies. In ea enim apparet erratum quoddam Naturæ,

Victorius ex Platone in Sophiſta

ac

ac turpitudo. Eſt autem turpitudo receſ- *Madius de Ridic.*
ſus quidam ab recto naturæ ordine: quæ Animi, & Corporis eſt. Animi turpitudo, eſt ſtultitia: Quid enim homini turpius? Rerum ignoratio, earum præſertim quæ in ſuo quiſq. ſtatu ſcire debet. Quò reuocantur abſurdæ opiniones, ineptæ ratiocinationes ac ſententiæ, vitia, & habitus ex prauo ſenſu, aſſenſuq. naſcentes: vt auaritia, iactantia, immoderati affectus timoris, confidentiæ, audaciæ, iracundiæ. Quæ animi labes, vt ridiculæ ſint, abſint ab improbitate, ac ſcelere; ſic enim pariunt offenſionem, & odium. Turpes corpore ſunt diſtorti, deformes, enormes facie aut membris, gibboſi, frontones, ſtrabones. In externis eſt familia, genus, diuitiæ, dignitates, amicitiæ, quæ cum deſunt, aliquid conueniens abeſſe reputatur. Hæc omnia niſi dolore vacent, ridicula non ſunt. Ideò abhorrens aliquid à corpore integro, ac perfecto, ſed dolori adiunctũ, vt vulnus, præciſæ nares, effoſſi oculi miſericordiam mouent, non riſum: quem cicatrices mouere poſſunt, quia abſque doloris ſenſu retinentur. Externarum etiam rerum indigentia ſi calamitatem hominis indicat ad miſerandum adducit;

Abſint igitur vitia, errata, turpia: ſi corporis, à dolore: ſi animi à ſcelere: ſi fortunæ ſint, ab infortunio miſerabili. Hoc enim modo habenti mala ſunt; malũ, verò, quatenus malũ eſt, terrorẽ, ac miſericordiam, non lætitiam, & riſum progignit. Porrò in hoc triplici genere, turpitudo non modo vera, ſed etiam ficta, & fortuita riſum mouet. Qui enim claudicat, vt claudicanti illudat, ridiculus eſt. Demum inter ridicula numerantur deceptiones, ironiæ, ioci: facetè, vrbanè, ambiguè, hyperbolicè, translatè dicta, & alia, quæ paſſim occurrunt in Comędijs.

Materia Comœdiæ. Cap. LV.

HÆc iam conſtat. Materia enim leuis eſt, ac ridicula, & quanuis actiones inuoluat, quæ alicuius momenti videantur eſſe: vt cùm agitur de ineundis nuptijs, de agnitione ignoti filij; modus tamen agendi ridiculus eſt per deceptiones, dolos errores, mendacia, rerum, quæ ignorantur profeſſionem, declinatas cum detrimento inſidias, ſordes, furta, & alia eiuſmodi. ſic auarus ſenex in conuiuio nubentis filiæ raphanum parat: ſic miles monteș

ſpiri-

ſpiritu difflat: litterator hæret putidè in ſyllabis: aurum ſeruus corradit. Ineſt autem ridiculum tàm in actionibus, quam in ipſis perſonis, quæ habitu corporis, veſtitu, officio ridiculæ ſunt. In habitu corporis eſt diſtorta, & flaccida facies, peruerſi oculi, naſus aut enormis aut aduncus, inflatæ buccæ, manus dependulæ, corpus obeſum, vel exuctum, diuaricata crura, valgæ tibiæ, geſtus inordinatus, veſtitus obſoletus, peregrinus, diſciſſus, ſordidus. Officio, & munere riſum mouent paraſiti, agreſtes, ſerui, callidi, furaces, nequam, amentes, auari ſenes, ſtrabæ aniculæ, fatuæ ancillulæ, verſuti iuuenes, doctores leuiſſimi. Cæterum perſonæ, & actiones omnes fictæ ſunt in Comędia. Docet enim Ariſtoteles Comicos poëtas ex veriſimilibus fabulam conſtituentes, nomina pro arbitrio comminiſci. Cauſa huius rei referenda eſt in eos, qui nouam Comędiam ſcripſerunt, de qua paulò poſt. Aliam afferunt interpretes, quia nimirum vilium, & infirmorum hominum res geſtæ ignotæ ſunt, & omiſſæ à ſcriptoribus. Quare in obſcuritate generis facilius, & vero ſimilius eſt fingere, quàm in claritate regia. Porro vt Tragicæ perſonæ mediæ virtute:

Ariſt. c. 7. poet.

Supra reiectam.

ſic iſtæ infimæ, vel potius ſummę ſunt vitioſitate ridicula; vt illæ ad infęlicitatem tranſeunt: ſic iſtæ ad lætitiam, & infęlicitatem, non tamen ſine labore, difficultate, periculo. Proprium enim ſpei eſt tendere ad bonum per aſpera, & difficilia; quo affectu, proſperiq. euentus lætitia recreare vulgi anmimos ſtudet Comędia: vt per errores deprimere potentiorum ſpiritus Tragędia. ſed ne recreare audeat impudicis fabulis; hæ enim tam actoribus, quàm auctoribus noxiæ ſunt, peccantibus in arte, quæ iuuat rempublicam. Demum quod ſpectat ad materiam, Actio Comica modo vnius perſonę ſimplex: modo cum actione alterius implicita coniunctim agitur, & mutuò explicata, ſimulq. finem ſortita, duplex dicitur. Hæc quomodo ſit vna, ſupra expoſui.

Forma Comœdiæ. Cap. LVI.

PArtes formæ Comicæ communes cũ Tragędia ſunt. nempe Fabula, Mores, Sententia, Dictio, Apparatus, Melodia. Fabula eſt implexa cum peripetijs agnitionibus, & gaudio. peripetię contrarię Tragicis, vtpote proſperæ ex aduerſis,

Agni-

Digitized by Google

Agnitio perſonarum ferè interuenit; Fictis enim ad arbitrium argumentis,par eſt optimum fingere. Gaudium paſſioni Tragicæ contrarium contrario è capite naſcitur. Nec cæteræ ſeptem conditiones fabulæ deſunt, vices paſſionis agente lætitia. Mores malos quidem, verum non immanitate deteſtabiles, ſed riſum ferentes Comœdia effingit; nam eiuſmodi vitijs perſonas obſtrictas habet. ſententiæ vt à vilibus actoribus profectæ, occupatum animum cupiditate, ſpe, timore, amore, alijſq. affectibus indicant; nec raræ; ſiquidem Philoſopho aſſerente, viles, & agreſtes homines crebro ſententias effundunt, *Lib 2. Rh. c. 22.* Dictio, & ſtylus humilis, ac pedeſtris. De Apparatu, & Melodia ſatis ſupra. Partes Tragicæ Quantitatis, præter actus quinque, Comędia non vendicat ſibi. Nam primus actus dici Prologus non poteſt: nec vltimus Exodus, quia choros non habet; & ante actus Prologum, qui ſeriem fabulæ exponat, ipſa præmittit.

Varia Comœdiarum partitio apud Græcos, & Latinos. Cap. LVII.

TRes Comędiæ ſunt ſpecies apud Græcos: Vetus, Media, Noua. Vetus in ciues licentia pluſquam poëtica inuehebatur, libenter audiente populo, penes quem poteſtas erat Athenis, & irridente potentiorum, iudicum, magiſtratuū prauos mores, & facinora. Quarè impunè poëtis fuit, certos ex nomine deſignare ciues, eorumq. vitia perſtringere, quaſi ab illis infamiæ metu reuocarent. Sed mutato Reipublicæ ſtatu, paucorum, qui ſucceſſere, imperium poëtas pęnæ timore coërcuit, multato quinque talentis Ariſtophane. Itaq. ad nouam Comędiam animum adiecerunt, ficti argumenti, & omnibus accommodati. Et quia chorus præſertim criminandi lædendiquè partes obibat, ex ea ſublatus, nullum deinceps in ea locum inuenit. Nouæ Comędiæ præcipuus cultor, & propagator Menander; quem Terentius, & alij ſequuti inter Nouam, & Veterem Comędiam, Mediam interponunt, in

Iul. Scal. lib. 1. poet. c. 7.

in qua lacerandi rabiem poëtæ à ciuibus conuerterunt in poëtas eorumq́. ſcripta irriſere.

Si ratio temporis habetur apud Romanos, eadem diuiſione, Liuij Andronici Comędiæ veteres: Pacuuij mediæ: Terentij, ac Plauti nouæ ſunt. Apud eoſdem Gręcæ in Latinum verſæ, Palliatæ à gentis veſte dictæ: Prætextatæ à prætexta, quam ferebant Magiſtratus: Togatæ à romana actorum toga: Tunicatæ à tunica, & viliori veſte popularium, quæ & Tabernarię ab humilibus tectis: Atellanę ab Atella ciuitate Campaniæ refertæ ſalibus, & iocis: Denique Motoriæ, turbulentæ: Statariæ quietiores: quæ conſtant ex vtroque, Mixtæ: & pro varietate argumenti, loci, perſonarum varia nomina ſortitæ.

De Tragicomœdia. Cap. LVIII.

DOctiſſimi huius ętatis viri conantur euincere, hoc poëma fuiſſe ab antiquitate exploſum, ignotum Ariſtoteli, ideòq. reiectum. quod contrarijs, ac pugnantibus rebus conflatum à neotericis poëtis non ſine Muſarum ſtomacho inuentum ſit. Verum non fuit ignotum Ariſtoteli dra-

drama ex duplici perſonarum, vilium, & *Cap. 11. poet.* illuſtrium conditione permixtum. Nam cum dixiſſet pulcherrimam eſſe Tragędiam, in qua perſonæ iuſta de cauſa grauia patiuntur: *Secundò*, inquit, *loco ſequitur, quæ à nonnullis in primo collocatur, illa ex duplici genere compoſitio; quo ordine Odyſſea eſt, vt quæ diuerſa ratione partim ex præſtantioribus perſonis, partim ex humilibus conſtet. Huic ſanè primas tribuit Theatralis imperitia, quippe vates hanc auram ſequuntur, componentes ad vota ſpectatorum.* Quo in loco magnus Præceptor communi interpretatione, à primo ordine, in quo ponebatur à quibuſdam, fabulam reijcit in ſecundum, non ſimplicem, conſtantemq. gemino fine fęlicitatis, & infęlicitatis. Quoniam verò in *Caſtelu. lo. cit.* cęteris nō diſcrepant interpretes, cenſeo, id poëma nō modo duplici fine, ſed duplici etiam ordine perſonarum conſtare. Nam Robortellus Græci codicis verba, quibus aſſeritur componi Odyſſeam βελτίοσι καὶ χήροσι perperam verti latinè putat, *præſtantioribus, & humilioribus perſonis*, quod gręcè illę voces referantur ad finem proſperum, vel aduerſum; vt ſit ſenſus, Odyſſeam duplici fine conſtare fęlicitatis, atque infę-

inſęlicitatis. Quę quidem expoſitio, vt à mente Philoſophi aliena, mihi non probatur. Quanuis enim ibi de fabulæ duplici fine ſermo ſit; non tamen excluditur coniunctio diuerſi generis perſonarum: quod exemplo Odyſſeæ perſpicuum ſit. In ea enim Vlyſſes, Penelope, Telemachus, Proci perſonas illuſtres agunt; at bubulcus, nutrix, famulæ viliorum partes ſuſtinent varia, diuerſaq. fortuna. Nam proci, & famulæ primò lætantur, deindè miſerè occiduntur; Vlyſſes, Penelope, Telemachus, bubulcus fœlicem in ſtatum euadũt. Quod ſi ex Odyſſea concinnare quis velit ſcenicum poëma, Tragicomœdia exiſtat, neceſſe eſt, in quo gemina ſit perſonarum, finiumq. coniunctio, quorum tamen vnus altero potior ſit; quemadmodum Odyſſeæ primarius eſt finis gaudium Vlyſſis, aliorum vero calamitas ſecundas obtinet partes. Id quod interdum vſurpat Comœdia, vt Miles, & Aſinaria Plauti demonſtrant. Sed hoc ibi rarum quod proprium ſibi fecit Tragicomœdia, in qua variam fortunæ conuerſionem efficit varietas humiliorum, & nobilium perſonarum, ea tamen lege, vt potior in ſecundam fortunam conuerſio, vel interdum

ſola

ſola ſit, quare dicetur Tragicomœdiæ finis eſſe lætitia & quies, non fœlicitas ſimul, & infęlicitas.

Neque verò illuſtres infimæq. in vnum coactæ perſonæ ſe inuicem deſtruunt, vt idem poëma partim Comędia, partim Tragędia videatur eſſe; ex illa enim perſonarum, rerumque complexione medium aliquid exurgit, actorum vtriuſq. ordinis ſupremi, & infimi capax. Tales præter Plauti Amphitryonem, multæ numerantur ex antiquis, in quibus Dij, & Heroës cum vilibus perſonis fabulam egerunt; quæ pro Comędijs habendæ non ſunt, neque eas damnat Ariſtoteles; niſi ſi quis velit cum imperitia populari præferre Tragędiæ. Demum hoc poëma ſic definiri poteſt. Tragicomędia eſt *imitatio actionis meliorum, peiorumq;, metro, harmonia, & dramatico modo, quæ cum perſonarum varia fortuna miſericordiam, & gaudium componit; in ea tamen potior eſt, & ſola frequenter fœlicitas.*

Tarq. Gal. c. 4. de com.

De alijs Dramatis. Cap. LIX.

ALia multiplicis generis Dramata paſſim eduntur. Paſtoritia agentibus

bus ſyluicolis, & paſtoribus: alia ſacra, & ab eccleſiaſticis excepta monimentis: alia phantaſtica, in quibus vitia, virtutes, artes, diſciplinæ perſonarum vices agunt: alia in quibus piè, docteq. iiſdem de vitijs, virtutibuſq. diſſeritur: alia aliter concinnata. De quibus certæ leges ferri non poſſunt. Atque hæc de Poëſi ſcenica.

Secundi Libri Finis.

DE

DE ARTE POETICA.
LIBER TERTIVS.

Epopœiæ nomen exponitur. Cap. I.

QVANVIS ἔπος, vt ſupra dicebam, *dictio, & carmen ſit*, Hexametro tamen attribuitur. quemadmodum oratio peculiari ſignificatione notat eloquentiam, quæ tamen omnem dictionem ſignificat. Cauſa eſt natura dactylici ſenarij. Omnium enim carminum, vt ait Ariſtoteles Heroicum eſt ςασιμώτατον, καὶ ὀγκωδέςατον, *ſtabiliſſimum, & turgidiſſimum. Quo ſanè fit, vt linguas, atque translationes potiſſimam admittat. Nam & præ alijs excellit narratiua imitatio*. Idemque aſſeruerat, minime decere, *vt alio metri genere eadem imitatio conformetur*. Epos igitur nomen dedit Epopœiæ, quam ſiquis defi-

Scal. li. 1. poet. c. 41.

Cap. 22. poet.

definiat, dicet eſſe *Poëſim Hexametrorum effectricem*. Vt enim verſus Hexameter Epos eſt, ſic poëſis conſtans hoc carmine eſt Epopœia. Qua ſignificatione omnia, comprehenduntur, quæ Hexametro ſcribuntur verſu, cuiuſmodi ſunt Rhapſodiæ, Eclogæ, Satyræ. Preſſius tamen Epopœia illam ſolum poëſim ſignificat, quæ Hexametro carmine Heroas adumbrat, qualis eſt Homerica Ilias, Æneis Virgiliana: ideóq. Heroica dicitur, & carmen Heroicum. Hoc poëma vt primas habet partes inter Epica; ſic generis vendicat ſibi nomen, diciturq. Epopœia. Et nos deinceps promiſcuè, vel Heroicam, vel Epopœiam dicemus.

Definitur Heroica. *Cap. II.*

HEroica eſt *imitatio actionis Heroicæ verſu hexametro, modo mixto, abſq; ſaltatione, muſicoq; concentu, ad Amorem, & Deſiderium virtutis excitandum*. Hic *Imitatio Epica* genus commune eſt omnibus poëmatis, quæ ſcribuntur verſu Epico, ſiue Hexametro. *Heroicæ actionis*, qua diſtinguitur ab alijs, quæ alias imitantur actiones. Actio autem Heroica Heroum

eſt,

eſt, qui homines quidem, at hominibus eximia virtute præſtantiores ſunt. Tragędia actionem illuſtrem imitatur, ſed non Heroicam: Comędia vilem: Lyrica nonnunquam refert actiones heroicas, ſed alio verſu, ac fine. *Modo mixto* quo Poëtæ partim ipſi loquuntur, partim alios loquentes inducunt. *abſque ſaltatione, muſicoq; concentu* nam Epopęia recitabatur abſq. modis muſicis, & ſaltationibus, quæ Tragędiæ, Comędiæ, Lyricæ inſerebantur, recitabant autem, vt ait Euſtathius, *Lauream virgam tenentes manu*. vnde ῥαψῳδοὶ appellati, quaſi ῥαβδῳδοί. ῥάβδος enim *virga eſt*, quanquam & aliud eius nominis etymon affert Scaliger. *Ad Amorem, & Deſiderium virtutis excitandum*. Hic eſt finis Heroicæ. Nam ſicut Tragędia miſericordiam, & terrorem: Comędia ſpem, & gaudium purgat, & corrigit, ſic amorem, & cupiditatem epopęia, vt nimirum hi hominum incitatiſſimi, vehementiſſimiq. affectus ſolum ferantur ad virtutem, & actiones virtutum. Hæc videtur fuiſſe Virgilij mens, cum ait, Herois virtute nos ad virtutem erudiri. Nam apud illum ſic Æneas Aſcanium filium alloquitur:

Initio Iliad.

Lib. 1. poe. c. 41.

Diſce

Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborem 12. Aen.
Fortunã ex alijs. te nũc mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter præmia ducet.

Quid ſit Actio Heroica. *Cap. III.*

ACtio Heroica Humana eſt, quippe quæ ab homine ſit; ſed tamen & humana maior habetur, quod ſupra hominem ferri videatur. Hanc opponit Ariſtoteles Feritati. Eſt autem *Feritas*, vt ille ait, *vitium quoddam exuberans, cùm eo nequam prorſus quempiam intuemur*; vt ipſum *non hominem, ſed feram eſſe dicamus, ſicut & vitium ipſum feritatem.* Huic virtus oppoſita nominis expers eſt. ἔστι δ' ἡ τοιαύτη ὑπὲρ ἄνθρωπον οὖσα οἷον ἡρωική τις, καὶ θεία. *Eſt autem talis ſupra hominem, velut heroica quædam & diuina.* Sicut ergo is eſt feritate deteſtabilis, qui ferinis moribus, atque inuſitata vitiorum fœditate prope humanitatem egreſſus, feræ quàm homini propinquior eſt: ita Heroica virtute præcellit, quem vis præcelſa animi, rerumq. cum virtute 2. Magn. Moral. c 6.

geſtarum ſumma gloria propè eximit mortalitati.

Sed quomodo virtutem tàm exaggeratam, & humana ſuperiorem comparant homines? Ethnici poëtæ ad inanium Deorum vanam opem cõfugère; vt quidquid ageret Achilles, Æneas, Diomedes, alijq. Heroës, Palladis, Veneris, Martis, aliorumq. Numinum ficto præſidio facerent. Falsò; ſed fabulæ quædam inerat vmbra veritatis. illis enim inuoluebant, opem diuinam heroicis actionibus adeſſe oportere. Veriſſimè ergo Chriſtiani non modo poëtæ, ſed etiam ſapientes Theologi hæc fieri aiunt peculiari Dei auxilio, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Si enim in hoc ſtatu prolapſæ, corruptæq. Naturæ, homines quidem naturali facultate (quod docent Theologorum præſtantiſſimi) boni aliquid agere poſſunt, non tamen omnia ſecundum bonos mores efficere; profecto aliquid humanis amplius viribus quì poterunt perficere niſi diuino, & gratuito ſuperueniente præſidio? Infirmus homo eſt, aliquem motum in magna ægritudine ciere poteſt: ſani corporis motionem ciere non poteſt.

He-

Heroicam virtutem non eſſe omnium virtutum complexionem. Cap. IV.

DVo hìc exponenda. Alterum: ex quacunque morali virtute elici poſſe Heroicam actionem. Hæc enim cum exaggeratam virtutem includat, nullum profecto genus virtutis excludit, a quo ſingulari quadam prestantia promanare non poſſit: ſicut in quocunque vitij genere feritatem quiſque profiteri poteſt. Verum in virtutibus, maiorem illæ dignitatem, & ſplendorem, & laudem habent, quæ inſudant populari, & publico bono, vt eſt Fortitudo. Hac enim& defenditur ciuium ſalus, tremendisq. periculis obuiam itur. Alterum eſt: Heroi ſatis eſſe vnius virtutis excellentiam: plures aut omnes neque reſpuere, neque neceſſariò poſtulare. Quod conſtat exemplo poetarum. Quid enim inſtitutor omnium Homerus Achilli tribuit, preter fortitudinem? Non Regi obtemperat, quem & voluit occidere, niſi Pallas inhibuiſſet: Non mouetur ſuorum calamitate, aut nece: amicos *Anſal. Ceba Dial de poët. p. 2.*

cos non audit. Denique qualis fuerit, vel eſſe debeat in fabula, monet Horatius:

Scriptor honoratũ ſi forte reponis Achillẽ,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Quot vitijs vna virtus inuoluitur? Idem alij Heroes oſtendunt, quorum alter Prudentia, alter Iuſtitia prçcellit. Ne ipſe quidem Maronianus Æneas, quamuis omnes videatur complecti virtutes, ſeuera quorundam ſententia, laudatur in omnibus. Deſiderant enim in illo fidem (iure nè, alij iudicent) quam Reginæ Didoni oppigneratam nihilominus violauit: & moris conuenientiam, vt pius in Patrem, & Patriam, in eam ſpreta pietate fuerit ingratus: ſeq. laſciuiendo, in eo poſuerit ſtatu, vt vel Italiam, quò vocabatur, deſerere: vel Reginam tot beneficijs ſibi obſtrictam repudiare debuerit. Ex his multo rectius inferes, Carmen de ſancto aliquo viro conſcriptum vere Heroicum eſſe. Multo enim maiori virtute præſtant ſancti viri, quàm hi de quibus dixi Heroés; neque enim ſolum ornantur virtutibus, quæ morales: ſed etiam illis, quæ ſupernaturales dicuntur. Porrò in illis He-

Anſal. ibi. p. 3.

Heroica erit Humilitas, Paupertas, ſtudium orandi, & alienæ ſalutis. quanquam fortaſſe actiones ab his virtutibus profectæ non ità ſplendeant mortalium oculis, vt regiæ, bellicæq. actiones.

Ex his conſtat Heroicam eſſe actionem, quæ ab inuſitata, & exaggerata hominis virtute, Deo adiuuante proficiſcitur.

Quomodo Heroëm Poëta conformet. Cap. V.

Repetendum hic eſt, quod alibi docuimus: Poëſim res enarrare, non vti geſtæ ſunt, ſed vti veriſimilitèr geri debuerunt. Hanc legem ſi vnquam poëtæ tuentur, in Heroë præſertim figurando religiosè tuendam putant. Itaque perlectis diligenter, quæ de abſoluta ratione honeſtatis ſapientes tradidere, perfectam ſingularum virtutum formam animo comprehenſam ante perſpiciunt: tum verſu conantur exponere. Hanc porrò eximiam pulchritudinem virtutis, non, quemadmodum philoſophi, quaſi ab homine ſeparatam contemplantur: aut ab eodem homine abſtractam ſuis colorant pigmentis, & floribus aſpergunt; quod iniucundum pu-

tant, & inutile. Homo enim libenter audit quid homo iuſtus fecerit: non quemadmodum ab homine diuulſa, lances ſuas libret in nube Iuſtitia: noſtriq. ſimilium facta in exemplum repoſcimus, non ideas diſſidentium philoſophorum. Quare vim illam, ſpeciemq. virtutis veluti ex alto deuocatam in inſigni aliquo Duce, Rege, Imperatore poëtæ artificioſè collocant, & conſentientibus lineamentis conformant ad figuram Heroicę ſublimitatis, perfectęq. actionis imaginem. Vbi & hiſtoricæ, vulgarę q. famæ conſulitur, & conuenientia finguntur. Ille enim ſeligitur, in quo fidem compoſita figmenta non excedant, ac verè magnus fuerit in eo genere virtutis, in quo poëtica teſtificatione ſit maximus. Hac verò de cauſa poëſim quiddam hiſtoria perfectius conſtituit Ariſtoteles. neque enim veteres Gręcorum aut Latinorum annales, tale nobis exemplum Iuſtitiæ, vel Fortitudinis præbuere, quale in Heroibus effingit poëſis. in eadem quippe virtute multa peccauere laudati ab Hiſtoricis Duces. Fuit enim magnus bello Alexander: ſed interdum bellica temeritate non minor. Fortis Annibal aduerſus hoſtem: idem callidus, & infidus.

Cæ-

Cęſar armis nemini ſecundus; ſed arma, vertit in patriam, vt in ea primus eſſet. At Heroës poëtici non modo vna qnapiam virtute pręſtant, ſed alijs omnibus frequenter pręcellunt. quod eſt abſolutum, & vix vlli ęquandum ſimulacrum virtutis. Eodem artificio vitia ridicula congeruntur in perſonam comicam: & vitiorum, virtutumq. mediocritas infortunio tragico permiſcetur.

Proprietates Actionis Heroicæ Poëmati congruentis. Cap. VI.

Tres pręſcribunt poëticę Magiſtri conditiones Actionis, quæ tanquam materia Epicæ formæ, ac fabulę idonea, ſeligitur. habeat inquiunt hiſtoriæ veritatem: cum vera religione ſit coniuncta; neque admodum recens, neque admodum antiqua ſit. Heros ergo, vt aiunt, heroicæ actionis auctor verus ſit, & vixerit aliquando. Quis enim proponat tanquam exemplar virtutum illum qui nunquã fuerit? An quod enarrabitur, erit credibile, niſi Hiſtoriæ auctoritate firmetur? Falſum

Torq. Taſſ. li. 2. poem. Heroic.

Hac ratio lib. 2. reie-cta eſt.

enim illicò deprehenditur; cum ſciamus ſublimes actiones omnes hiſtoricæ memoriæ conſignatas. Secundo, ſit Heros Catholicæ religionis, & pius (præcipimus enim Chriſtiano ſcriptori) quia cum Heros peculiari Dei auxilio indigeat, vt agat eximia cum virtute, pietatem, iuſtitiam, religionemq. profiteatur. Eadem de cauſa in actione non inſit ſcelus; vt, ſiquis gereret bellum iniuſtum aduerſus parentes. Tertio talis perſona ſit, vt, cùm illi multa ſupra naturam ſint affingenda, capax videatur eſſe huiuſmodi figmentorum. Non eſſet autem capax ſi vel hiſtoricorum publico, vulgatoq. teſtimonio, vel populari famà homines contra ſentirent, ac loquerentur. Hoc adiuuat conuenientia temporum, quo enim aliquis vetuſtior eſt, eo plura figmenta recipiet; cum diſtet à memoria noſtrę ætatis. Nec tamen, tanta debet eſſe temporum vetuſtas, vt neceſſe habeamus abſurdos, & pugnantes cum noſtris mores poëmati inſerere. Contra in recenti rerum memoria minimus fingendo locus eſt. Sit ergo media quędam ratio antiquitatis, cui liceat multa affingere, neque à noſtris aliena.

Cęterum alij fictam Heroëm aut homi-

minem ethnicæ ſuperſtitionis non excludunt. Ego vt fictum ſcriptori permitterem: ità ſecluderem Ethnicam impietatem; nec magnopere de recenti, an vetuſta ætate laborandum cenſerem. Nam & obſoleti mores reticeri poſſunt, nec dedecent fictiones, & fabulæ recentem memoriam; omnes enim permittunt poëtis fingere. Cæterum non vnus tantum, ſed etiam plures Heroes vni Regi, & moderatori ſubijci poſſunt, vt Ilias docet. At ſi plures æquo imperio rem gerant, quanquam forte minus perfectum poëma efficerent, eius tamen vnitati non officiunt, ſi ad vnũ aliquem finem tendant; vt vrbem capiendam, vel liberandam. Sic apud Romanos multa bella duo Conſules æquis faſcibus, & imperio adminiſtrarunt, quibus certe non defuit vnitas.

Anſal. d poem. Her part. 2.

Forma Heroici poëmatis. *Cap. VII.*

HÆc veluti materia eſt; at ex fabula, & artificio poëtico formam accipit. Ad hanc vero conſtituendam eadem illa requiruntur, quæ Tragœdiæ formam tribuunt, & Comœdiæ; nempe Fabula, Mo-

Mores, Sententia, Dictio. Nam Apparatum, & Melodiam reijcit Epopœia, ſola narratione contenta. Sed quia quatuor illa à me generatim expoſita, nec magis de Tragœdia, quam Comœdia, & Epopœia præcepta ſunt, nihil preterea repeto; ſolum quomodo hæc ſe habeant in Epico carmine paucis oſtendo.

Fabula, tanquam forma, & anima Epopœiæ eſt rerũ inuentarum nuda compoſitio, ſiue argumentũ, actionis heroicæ partes omnes veras, fictasq. comprehendens. Hęc vt differt longitudine à Tragica, ita temporum longam ſeriem excludit includentem diuerſas, & pugnantes actiones. Quo autem breuior erit actio ſuis diſtincta partibus, & Epiſodijs, eo etiam laudabilior erit: Homeri exemplo, qui belli Troiani particulam ſuſcepit exponendã. Itaque immodicis Epiſodijs non augeatur: perfecta eadem, & initio, medio, & fine conſtans, integra ſit: vna, ab vnitate ſcilicet actionis, non perſonæ, vel temporis vnitatem ſortita. Demum ſit admirabilis: ſed admirationem pariat potiùs ingenioſo, & inopinato, rerum contextu, & commutatione fortunę, quàm congeſtis admirandis; & actionibus exceden-

Ariſt. in poet. c. 22.

cedentibus humanitatis vires.

Sententia in Epopœia rarior quàm in Tragœdia; minus enim narrantem decet, quam actores inducentem. Dictio grauis Heroicæ actioni verſuiq nobiliſſimo accommodata. Morata oratio perinde, ac in Tragœdia elucet;præſertim vbi tacente poëta, Epicæ perſonæ loquuntur.

Iam verò quemadmodum Tragœdia, ſic Epopęia veluti diuiſa in ſpecies, eſt vel ſimplex vel implexa, vel morata, vel pathetica. Simplex, quæ fabulam habet ſimplicem, eodéq. tractu ab initio tendente ad finem ſinę peripetia, vel agnitione. Implexa, in qua Peripetia, & mutatio in contrarium: vel Agnitio, vel vtraque ineſt: quæ ſane in Heroica deberet ineſſe. Morata, in qua frequentior, & clarior eſt morum expreſſio, quàm in cęteris: non quia fabula ſuaptè natura ſuſcipiat exprimendos mores, cum ſit imitatio actionis; ſed quia in fabula, quam moratam dicimus, cùm ingens calamitas non exponatur perſonis Epicis ſuperueniens, potius videtur inuenta ad repreſentandos mores, quàm actiones, ex quibus malum, bonumq. deriuatur. In hoc genere Odyſſea cenſetur; ibi enim mores bonæ vxoris, bonorum, malo-

Ari. c. 22.

Supra lib. 2. c. 19.

Caſtel. par. 4. partic. 7.

Ari. c. 22.

malorumq. ſeruorum abſente viro dominoq. enarrantur: quæ actioni præcipuæ reditus Vlyſſis parum conducere videntur. Demum pathetica, crebra affectibus, ſed cum pathetica Tragœdia ſit, quæ in perpetuo dolore, gemituq. verſatur, (fit enim implexa cum ex lætititia ſecundæ fortunæ vergit in dolores, & querelas) epopoeia, vt mihi quidem videtur, non ſolum dolore, ſed odio, amore, metu, ſpe; lætitia, alijs affectibus contexta, erit pathetica.

Quædam obſeruanda ad Heroici Poëmatis formam conſtituendam. Cap.VIII.

QVanuis Epopęia ſit enarratio, poëta nihilominus crebro loquentes perſonas inducat. Cauſa eſt, quia tunc magis imitatur, cum inſtar Tragici ſcriptoris ipſos agentes repreſentat.

Secundò. In narrando recedat ab Hiſtorici lege, & modo: non ordiatur ab initio actionem, ſed potius à medio, ſuo loco deinde expoſitis quæ prætermiſſa ſunt. Sic Homerus, Virgilius, & alij.

Ter-

Tertiò. Non erret in Hiſtorijs, in ſupputatione temporum, in moribus populorum, in rebus Aſtronomicis, Politicis, Philoſophicis, Geographicis, multo minùs Theologicis, ſi exponendæ occurrant; omnia enim ſe profitetur ſcire qui Poëtam agit.

Quartò. Non prætermittat deſcriptiones perſonarum locorum, temporum, primorum corporum, anni tempeſtatum, & ſimilium. in his tamen non inconſultò ſit creber, neque nimis prolixus; vt aliquis iure non moneat, *ſed tunc non erat his locus*.

Quintò. Intertexta Epiſodia magnitudinem fabulæ non excedant, & ſua magnitudine eius magnitudinem obruant.

Sexto. Adhibeat frequentes comparationes, & ſimilitudines: vulgatas tamen, & vſurpatas ab alijs quoad fieri poteſt, omittat, præſertim eadē lingua ſcripturus.

Septimo. Eruditiones, & antiquitates vt puridè non debet perquirere: ita cùm locus opportunus poſtulat, non relinquat.

Octauò. Peripetijs, & rerum conuerſionibus additæ Agnitiones factorum, vel perſonarum, addent & dignitatem. nec ſtatim nodus diſſoluatur, atque euaneſcant

pro-

propoſitæ difficultates; ſed replicatis cohæreant nexibus, ac prope iam ſolutæ iterum arctius implicentur. nam poſtrema ſolutio tanto erit delectabilior, & ingenioſior.

Nonò. Exitus heroicæ actionis heroi ſit fortunatus, ac fœlix quanquam Statius ſequutus antiquiores, qui Thebanum bellum ſcripſerant infœlicem fecerit.

Decimò. Meminerit Epici Characteris, & grauitatis heroici Carminis; quo ſi caret, etſi abundet inuentis, carebit & laurea.

ADDITAMENTVM.

Dubitatur, quomodo imitetur Epicus, cum ipſe loquitur, nec alijs loquentibus ſe ſubducit. Plato quidem ait. *Lib. 3. de Rep.* εἰ δὲ γε μηδαμοῦ ἑαυτὸν ἀποκρύπτοιτο ὁ ποιητὴς, πᾶσα ἂν αὐτῷ ἄνευ μιμήσεως ἡ ποίησίς τε, καὶ ἡ διήγησις γεγονυῖα εἴη. *Si autem ſe ipſum Poëta non celauerit omnis illi poëſis, & narratio fiet ſine imitatione.* Ariſtoteles autem *In poetic. c.22.* αὐτὸν γὰρ, inquit, δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν. οὐ γάρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητὴς, *Ipſum autem poëtam oportet pauciſſima dicere. non enim ſecundum hæc eſt imitator*. Et

eo

eo nomine commendat Homerum, qui pauca ex ſua perſona: plurima ex ore alieno commemorat.

Reſpondendum eſt hæc dici à tantis Philoſophis, non quia epicus poëta narrando non imitetur; ſed quia comparatione Tragici è ſcena repreſentantis, eius imitatio multo ſit debilior, & imbecillior. Modus enim dramaticus, quo perſonę ipſæ loquuntur, rem non modo verbis exprimit, ſed ipſis perſonis agentibus; narratiuus autem ſolis verbis. Quare perſona poëtæ narrantis, citra verba non imitatur: perſona dramatica etiam citra verba, actione, vultu, habitu, figura totius corporis repræſentat. Ad quam magis accedit epicus inducens aliorum ſermones, quam ſi ipſe loqueretur.

De Allegoria. Cap. IX.

Epico, & alijs poëmatis docti viri Allegoriam inſuerunt. Aiunt enim, poëtis ità fabulas placuiſſe, vt aliud dicere, aliud adumbrare voluerint: nec tam res geſtas exponere, quam inuoluere doctrinas Philoſophorum, ac præcepta vitæ. Alij contra allegorias expungunt, eaque de re obſti-

obſtinatum Ariſtotelis ſilentium in poë-tica inſtitutione admirantur. Sed primi neſcio quid relatum à Philoſopho de allegoricis fabulis deprehendunt. Hi ſanè fictis in perſonis, rebus, atque adeo tota fabula, tanquam in ſpeculo, interiorum hominis facultatum, virtutũ, vitiorum imagines intuentur, animæ conſilia, & quædam quaſi myſteria naturæ repręſentantes.

Lib. 1. Plurimi quidem, vt alibi dictum eſt, conſtanter affirmant vetuſtiſſimos poëtarum texiſſe commentis placita, & documenta Philoſophiæ: blandeq. leniјſſe quod aſperum fecerat præcepti grauitas, & ſiccitas dictionis. Exemplo ſit. Plurimos laboris tędium reuocat à ſtudio ſapientiæ; quos ad eam vt allicerent, fabulati ſunt, Palladem natam è Ioue, proximumq. illi tenentem honoris gradum, geſtare faciem Gorgonis horrendis viperis capillatam. Hoc commento virum ſapientem expingunt, peculiaribus, & à Deo profectis beneficiјs munitum, improbis formidabilem, moderatũ, ac vigilem, rebuſq. agendis anguis more, prouidentem. Similia monent in cæteris.

Vnum hic ſe offert intolerandum, & inexpiabile; quod cum res fœdas pro voluntatis prauitate enarrauerint, illis latere

ger-

germana Philoſophiæ documenta, & ſaluberrima Naturæ inſtituta mentiuntur. ò peruerſa ingenia. vitia infunditis, & virtutem docetis: propugnatis poëſim, & euertitis mentem: dehoneſtatis mores, & coloratis honeſtatem. Quin potius, vt olim ille, cantatis pueris, atque virginibus? Sed hoc fecerit, quod ait idem, Musarum ſacerdos, non earum proditor, & fugitiuus. *Hor. lib. 3. od. 1.*

Certe, ne id hoc loco prætercam, qui pangit impurum poëma, & deprauaturum bonos mores, intempeſtiuè traducit præcepta poëticæ ad materiam inutilem. Cum enim Poëſis bono Ciuitatis inuenta ſit; opus quod fit ex eius præceptionibus vtile ſit Ciuitati, neque à iuuandi fine deflectat, neceſſe eſt. Si ſecus fiat, ab eo deficit, quod vniuersè imperatur: Vt in artibus materiam quiſque ad confirmandum idoneam, finemq. adducendum accipiat. Quare domum ædificaturus, ſi pro tignis, & aſſeribus paluſtres calamos, lutum, & arenam pro cœmentis accipiat, peccat in arte, quod alienam ab ædificando materiam eligit, & domum non habitandam ædificat. Ita profectò negligit hoc præceptum impurus ſcriptor, quia materia *Quod li. 1. probatū eſt.*

 ope-

operis eligenda illi eſt apta ad iuuandos animos,non deprauandos. Quod in optimis veterum Epicorum obſeruare dêbeat, eorumq́. exemplis erudiri. Hæc de grauiſſima Epopœia: nunc ad alias minores pergam.

Parodia. Cap. X.

PArodia ex epopœia,tanquam è matre pulcherrima ridiculus fœtus, exorta eſt. olim enim cum poëtæ ſua carmina recitarent, intermiſſa recitatione, alij miſcentes ſeria ludo, inuerſa carmina ad rem iocoſam transferebant. Quare Parodia eſt *Rapſodia, ſiue Epopœia inuerſa, mutatis vocibus ad ridicula ſenſum retrahens.* Sic Matron poëta græcus multa millia Homericorum verſuum ad culinam, & macellū̃ tranſtulit, iuſto poëmate: Et alij alia tum Latinorum, tum Græcorum poëmata inuerterunt. Sic illa carmina Criſpi Stephoniani de laurea triumphali transferet aliquis ad lauream cauponæ affixam, & vini vendibilis ſignum.

Scal. li. 1. c. 42.

Act. 1. Sce. 1.

Vt æquus illā̃ lauream,& frontis decus,
Illos honores ſtirpis inimicæ prœbem?
Criſpi triū̃phos Cæſar vt plauſu ſequar?

Per-

Perfundet ante ſydus arctoum mare.

At Parodia:

Vt æquus illam lauream, lauri probrũ,
Illos liquores improba vitis probem?
Catus bibaces potus vt plauſu ſequar?
Bibet ante ſitiens arctos arctoum mare.

In Comœdia Italicà iam vſu receptum, vt quidam actores præſertim Iuriſconſulti, & interdum ruſtici, ſerui, paraſiti aliorum ſententias ridiculè peruertant. opus item heroicum ad irriſiones detorquet infimus quiſque è plebe, ac ſtolidiſſimus: vt Gnato, Coquus, Caupo: hic ad rem cibariam, Olitor hortenſem, Cerdo ad ſutrinam.

De Ecloga. Cap. XI.

Contraria eſt Ecloga Heroicæ imitatione perſonarum; quippe quæ ruſticos, & paſtores: illa duces, & heroas imitatur. ideò & diuerſis ducitur lineamentis, & coloribus. Siciliam habuit inuentricem ſui ac parentem. ſed cum incertas ob cauſas Bucolicum hoc carmen dicatur inuentum; certum eſt ab agreſtibus, ſiue ab ijs, qui vim morbi per vrbes graſſantem effugerant, in agro fuiſſe pri- *Scal. li. 1, c. 4.*

 mum

mum dictas Dianæ cantiunculas. porro inconditum carmen cum placuiſſet ruſticis, paulò concinnius amplexi deinde ſunt alij, præter paſtores Indeq. nomen inditum Eclogæ, quaſi ſelecta quædam è multis ſubitò, & inornatè effuſis ſeponerent ad canendum.

Iam Eclogæ germana materia ſunt res, & perſonæ ruſticæ; quanquam & alia præter has complexa eſt. In perſonis ſunt paſtores, aratores, olitores, vindemiatores, piſcatores. Hos autem poſtremos primus in Eclogam induxit Sanazarius. Horum actiones infortunia, querimonias, labores, curas, contentiones, cantilenas, colloquia, laudationes, interitus perſequitur. In rebus ſunt ſyluę, agri, armenta, pecora & paſtiones, frumenta, fruges, vindemiæ, locorum amœnitates, nemorum vmbræ, fluuiorum decurſus, & ſimilia.

Forma, & modus Eclogæ ex his rebus contexendæ triplex ferme eſt: ſiue per narrationem poëtæ, vel cuiuſpiam ruſtici: ſiue per colloquia caprariorum, agricolarum, aliorum: ſiue per eorundem canentium certamina. Initia in triplici hoc genere varia, & inter ſe diſcrepantia, nam vel poëta inchoat carmen inuocando,

Extre-

Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem. Virgil. ecl. 10.

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. *Ab Ioue principium.* Idill. 17. Virg.

Quanquam illud carmen Theocriti Eclogæ fines egreditur. Vel ſe ſe cohortando, & excitando ad canendum.

Sed iã vulgatos, & nos referamus amores Sannazar. ec. 6.

Idque cum inuocatione:

Sicelides Muſæ paulò maiora canamus. Virg ec. 4.

Vel dubitando:

Si fas eſt luſus, & vera referre viciſſim. San. ec. 7.

Vel proponendo:

Damonis Muſam dicemus, & Alpheſibœi. Virg. ec. 8.

Vel imperando.

Πᾷ μοι ταὶ δάφναι; φέρε Θέστυλι. πᾷ δὲ τὰ φίλτρα; Theocr. Id. 2.

Has lauros, hæc miſta fer, huc age Theſtyli philtra. Sannazar. ecl. 9.

Rurſus ſi inducit alios loquentes, vel locum primo deſcribit.

Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis.

Vel ſtatim narrationem aggreditur, & ad finem vſque perducit. vel pronunciata vniuerſali ſententia, ex ea ſenſim in narrationem illabitur.

ἁ Πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγειρεῖ. Theocr. Id. 22.
Sola paupertas Diophãte excitat artes. Vel prolato exemplo oſtendit ſibi ex illo quid-

piam congruere. vel narrat occurſum eorum, qui deinde loquuturi ſunt.

Tacente verò poëta, alij peragentes eclogam vel inuitantur ad canendum ab altero; vel ipſi ſe inuicem inuitant.

Theocr. Id. 9. Virg. ec. 5. *Cur non Mopſe, boni quoniam conuenimus ambo.*

Vel vnus quid ſibi acciderit, narrat: vel ipſo initio ſyluas, vitulos, ventos, animantes, atque inanima alloquuntur.

Nauger. in Iola. et Id. 5. Theocr. *Paſcite oues teneras herbas.*

Hiſce initijs reliqua reſpondent. nam ſi ſolus poëta loquitur, vel aliquid exponit, vel queritur, vel lætatur, vel laudat, & commendat. Virg. ec. 2. & 4.

At loquentes ruſtici ſuam & ipſi fortunam mutuo recognoſcunt, aduerſam queruntur, gratulantur proſperam: huius ſtabilitatem, illius mutationem ominantur, alteri inuident, vitia exprobrant vel cum conuicio: ſiue laudant, & commendant, quod etiam vſurpant in cantus contentione, nec illis deſunt breues de alijs narrationes: raras intermiſcent ſententias, & ruſticum olentes: Ænigmata rudia, & hortenſia, & ex agro collectas quæſtiones. Iucundior eſt cantilena cum vertitur ad greges: Nam inuitat ad paſtum, oſtendit amœ-

(Margin: Virg. ec. 1. — Virg. ec. 3. — Virg. ec. 3.)

amœnitatem loci, & ſalubritatem herbarum, vacuos inſidijs ſaltus: Æſtate promittit ſpecus, ac nemora, liquidos ac dulces fluuios: Autumno, & Vere Cœli ſerenitatem, lenes ventorum aſpirationes, molliſſima paſcua: hyeme abſuturos ſpondet aquilonis rigores, noxias niues, & pruinas, paſtionis inopiam: laudat in ouibus fœcunditatem, & lanæ candorem, ſagacitatem in canibus, & vim ad lupos arcendos, deteſtatur lupos, victores in pugna Tauros, Canes, Arietes, Hædos commendat, admiſcet hilaritates, & iocos. In reſponſis canentium verſus interdum adhibet paribus ferè numeris, & ſimilibus vocibus reſpondentes, qui amœbæi dicuntur. Virgilius: *Ecl.* 3.

Da. *Triſtè lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres.*

Me. *Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis.*

Stylus mitis, lenis, inelaboratus, ſed purus, & elegans, intercalaribus verſibus nonnũquam ſæpius repetitis. Virgilius à Caprarijs eclogam ad Principes tranſtulit. Nam Pollionis filio ſublime Genethliacum acceptis à Sibyllà verſibus cecinit: & Silenum de rerum cœleſtium, ac terreſtrium *Virg. ec.* 8. *San. ec.* 8. *Conſtant. Pulchar. ecl.* 2.

natura doctè differentem fecit. quod qui fuerit imitatus, magno ſe tuetur iudice. Et terminis quidem ſuis egreſſa iam Ecloga nihil non comprehendit; ſi ruſtici perſonam induat poëta, aut ipſi referant, vel concinant inter ſe paſtores: decorè pro captu, ac fermè allegoricè: vt ſuo probant exemplo auctores. Itaque de politicis, vrbanis, & diuinis rebus agent, & bellica plorabunt incommoda, & dicent panegyricos, ac funebres Principi laudes, & alia innumera. Olim propoſito præmio coronati pugnabant, ſedentes, aut ſtantes cum paſtorali baculo, & muſico inſtrumento, cuius calamos ex arundine, aut cicuta compactos, & certa proportione impares inflabant; nunc carmen remanet ſine cantu.

Naugerij Damon.
Verr ecl 5.
Cōſt. ec. 2.

De Satyra. Cap. XII.

Lib. 10. c. 1.

MAgis ambigua eſt inuentio Satyræ. Quintilianus enim *Satyra* (inquit) *tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius*. Quod alijs non placet, qui à Græcis profectam, & perfectam volunt. Nam vt ante dicebam in veteri Comœdia priſci poëtæ Satyrica

impu-

impunitate mores ciuium inceſſebant; præſertim in choro. Quos teſte Horatio Lucilius eſt imitatus. Sed lata lege cum chorus primùm, deinde Comœdia vetus conticuiſſet, noua Comœdia extitit. Ex quo Satyræ antiquitati tantum nonnulli tribuunt, vt eam parentem Comœdiæ ſalutent. alij contra Comœdiam Satyræ. Sed hi nomine verius, quam re diſſentiunt. Priores enim veterem illam Comœdiam ob maledicendi licentiam Satyram nuncupant, ex qua defluxit noua Comœdia: poſteriores Satyram, eam qua de agimus, ortam ex antiqua Comœdia, & ſcenæ ineptam. Hãc primus Romæ ſcripſit Liuius Andronicus An. V. C. DXIV. C. Claudio App. F. & M. Sempronio Tuditano Coſſ. imitatione iocularium carminum, quæ Romana iuuentus ludionum thuſcorum exemplo ad Tibicinem decantabat. Sed Lucilius prior à Iambis ſenarijs ad dactylicos tranſtulit, in cæteris ſequutus Græcos: ſicq. tota Satyra Romana facta eſt, nomen tamen, & argumentum retinens à Græcis: modum, & carmen à Romanis. Nomen quidem iure deducitur à ſatyris, qui cum lancibus, & calathiſcis prodibant in tragicam ſcenam, ex illa poſtea

Lib. 1. ſat. 4. Hor. in Ar. poet.

Robortell.

Franc. Florid. & alij.

Gell. l. 17. c. vlt.

Scal. c. 12. lib. 1. poet.

Scal. lib 1. poet c. 22. Ariſtot. in poet. c. 2.

Scal. lib. 1. c. 9. poet. ſtea deiecti, in qua Chorum olim fecere. Immo ex Tragœdia Satyram prodijſſe putat Scaliger, quod ego non facilè dixerim, & pugnat cum aliorum ſententia.

Iam materia huius poëmatis actiones humanæ ſunt imitandæ cũ ioco, & riſu, vt corrigantur. In quo diſcrepat à Comœdia, quæ eaſdem pertractat vt exhilaret, erigatq́. pauperum animos: Satyra vt vitia *Scal. poet. lib. 3. c. 98.* reprahendat, & euellat. Sed cum vitia poëta reprehendit, cauendum eſt ne magis ipſe reprehendatur, duplici vitio: obſcuritate, obſcœnitate. Satyrici quidem malunt interdum legi, quam intelligi; quòd cum inuehant in flagitia ſuæ ætatis, à potentioribus timent. Sed timendum eſt pariter à doctis, ne opus damnent. fouent obſcuritatem verba non vſitata, antiqua, à græco interdum fonte deducta: aut è macello, & triuio, à quibus Satyra non abſtinet: rerum ignotarum narratiunculæ: interiecta colloquia, quæ vbi incipiant, vbi deſinant, non planè dignoſcas: initia abrupta, & exitus: ficta ſubinde nomina: ſubitæ ex vno in aliud tranſitiones: hinc indè petita quæ dicuntur. ſed in his meminiſſe debet ſcriptor, ſuam cuiq́. poëmati perſpicuitatem eſſe, nec denegãdam.

Ab

Ab obſcœnitate ni abſtinet, non corrigit vitia, ſed ingerit. Quid autem deterius, quàm eum, quem iuuare velis, & debeas, facere deteriorem? quædam porro vitia, vt fugiendo vincuntur, ſic arguuntur tacendo. Quid? cum ſine cauſa in ea delaberis, vt fœditates ſcriptis inſeras, & mentibus? Stylus in Satyra humilis ferme, ac demiſſus, quãuis pro re interdum aſſurgat. Porrò præter has, hæc ſcribendæ Satyræ lex eſt, ſcribendi ſine lege. Adeo varia, & multiplex eius forma. Non curant ſatyrici inuocationem Muſarum, & irrident Parnaſſi ſomnia: quibus,

Si natura negat, facit indignatio verſum, *Iuuen.*
Qualecunque poteſt.

Quædam Satyræ integra narratione abſoluuntur.

Egreſsũ magna me accepit Aricia Roma.
&, *Vt Naſidieni iuuit te cœna beati.*

Quædam mutuis aguntur ſermonibus, vt *Ibam forte via ſacra.* quædam multa ſimul vitia caſtigant His oſtenditur, tantum eſſe vitiorum copiam, vt ſileri non queat. quæ commemorantur cum irriſione, ac ſtimulo. infertur, vrbes fugiendas eſſe, quo cõfluant improbi, vbi non liceat cum virtute, ac ſine periculo viuere. proferuntur exem-

pla

pla vitioſorum hominum, quæ indignationem pariunt:contrà,bonorum, quæ reprehenſionem. mala à vitijs orta exponuntur, & ad probandum argumenta.Graues ſententiæ de moribus, de virtute, de bene viuendo . Aliæ arguunt hominum vota, & deſideria, quibus multum ſubeſſe mali,periculi, curarum oſtenditur.Quædam vnum quodpiam vitium arguunt, vt luxum ciborum,diuitiarum cupiditatem, inſerta interdum breui deſcriptione. ſic Iuuenalis Sat.11. in qua, & alijs hæc obſeruare poteris.

Genethliacon. Cap. XIII.

QVæ ſequuntur poëmata hominem comitantur in ortu, in vitæ officijs, in obitu. Et primo Genethliacon; quod natalitium eſt carmen hilaritatis plenum; nec ſolum canitur natali die, ſed ſingulis annis ad renouandam lætitiæ memoriam priſci repetebant,& nos repetere ſolemus. Hoc Virgilius ſuo exemplo ſic ſcribendũ

Ecl.4. præcipit in Genethliaco Salonini: ab ipſis enim poëmatis expreſſa præcepta deinceps tradam. Magnum aliquid ſe decantaturum, poëta profitebitur; nempè infantis

tis noua incunabula; cui vt naſcenti adſint, & faueant, vocabit præſides ſoſpiteſq. Diuos. dicet eorum præſidio, præſtantiq natura indole fore infantem maioribus parem. Id oſtendere anni tempeſtatem, diem aut feſtam, aut fauſtam aliquo ſigno, victoria, lætitia publica: oſtenta, & prodigia, ſi quæ acciderunt: & ipſos maiores, ac parentes; in quorum laudem, præſertim parentum excurritur. Tum puerum blandè alloquetur ſuadens vt capiat munera, quæ vltro ab omnibus deferuntur: & deſcribenda, quæ tum minuſculam ætatem: tum genus carminis, heroici ne, an lyrici, an elegi: tum patris, ſapientis ne, an bellatoris officia deceant. Attexitur deinde præſagium futurorum, Diui, ſi libet, alicuius teſtimonio roboratum. in quo magna, aptè tamen, & decorè de puero prædicantur. ad quē poſtremo reuertitur oratio, oblatis à Poëta futuris carminum voluminibus, tametſi non æquis eius virtuti, & gloriæ. Hic ordo partium inuerti poteſt; aliæ minui, aliæ augeri. Aliter accipies à Statio præcepta in Genethliaco Lucani, quod ſcripſit poſt eius mortem. Magnam ad lætitiam excitabis eius generis homines, cuius erit infans; Principes, ſi Prin-

Virg. addit innocationem.

Hac Virg. omiſit, ſed alij commemorant.

Li. 2. Sylu.

Princeps: milites ſi miles. quibus additum nouum decus gratulabere, parentibus præſertim, & patriæ, quorum laudes percurres. Tum ſiuè per vaticinium, ſiue alio modo res à puero gerendas cum laude prædices: demum etiam poſt mortem futura prædicabitur immortalitas nominis, & gloriæ. Neque obijciat aliquis horum obſeruatione, idem fore omnium poëma. Ego enim diſcentibus ſcribo, qui manu duci quodammodo debeant. ſed à bono ſcriptore celantur, diſſimulantur, mutantur præcepta, vt imitatio dignoſci non queat.

Stat. per vaticiniū.

Legendus Scal. lib. 3. c. 102.

Epithalamium. *Cap. XIV.*

Niſi placeat initiū magis abruptum, & ab ipſis petitum ſpōſis.

CArmen eſt nuptiale, in quo initio miratur poëta, vnde tantus exiſtat plauſus & canentium poëtarum, & gaudentium ciuium: quem poſtea debitum ſponſis agnoſcit, & nuptiali luci. tum effunditur in laudem vtriuſque, deductam, ſi vnquam aliàs, per omnia bonorum genera: animi, vt virtutes: fortunæ, vt nobilitatem, honores, conſanguinitates, opes: corporis, vt formam, ætatem, valetudinem; addita eleganti aliqua perſonarum, locorūq.

com-

commendatione. Quod præſtat ingenioſius alicuius figmenti excogitata inuentio; vt nimirum hæc ſiue depicta, ſiue intexta, ſiue in ædium apparatu expoſita, ſiue in auro argenteoq. inſtrumento celata videantur: aut commemorentur ab altero: aut iam memorata referantur. Tum conuerſus cum laude ad nuptam, & virum ſermo illos ad lætitiam excitabit: adducet in ſpem ſobolis virtute non imparis; & vertitur interdum ad vita functos parentes ſuadens, vt quocunque ex loco lucem feſtam ſoſpitent, & quam olim conceperant diei ſolemnitatem, omenque producendæ poſteritatis, adeſſe intelligant. Hæc ex Statio, & Claudiano excepta. Catullianum etiam Epithalamium legenti legem dabit. In hoc enim poëmate alios, quàm me audias, malo. Inter quos Scalig. lib. 3. cap. 101.

Lib. 1. Syl. in Epith. Stellæ, & Violant. In Epithet. Non. & Mar. Pallad. & Serena.

Votiuum Poëma. Cap. XV.

DEo preces, & vota nuncupamus hoc carmine: aut etiam homines oramus cauſa aduertendi mali, & conſequendi boni. Quanuis autem ablato malo, bonum ſequatur, poteſt tamen poëta ſecer-

ſecernere, & vnum ſine altero memorare.

Απευκτικόν. Pro malo auertendo hoc eſto votiui Carminis argumentū. Ad Deum vertar, vt quando humanæ opes defecere, & ſolæ ſuperſunt vota, votis benignè adſit, & opem ferat. Sed quid rogare auſim, indignus beneficio, & peiora commeritus? Equidem iure malum me vrget, & opprimit (fuſius deſcribendum: tum incommoda, quæ ab illo profecta etiam in alios promanant) At pater hominum ignoſce ſaltem horum gratia, qui indigni ſuſtinent, & tibi fortaſſe placuerunt, & placent. Cur hi mecum vexantur, & dolent? Quod ſi nolis malum penitus auferre, minue ſaltem, aut in aliud commuta. Quis neget hanc meis criminibus deberi pœnam? ſed tibi miſerari, & parcere proprium eſt. (iam enim argumentis eſt vtendum) non procreaſti homines, vt cruciares, & perderes: vitam dediſti, vt illa fruerentur. Multi abs te multa, nec diſſimilia impetrarunt (allatis exemplis.) Ego quoque etſi ad inferos meritò detrudendus, non tamen feci immaniſſima ſcelera: Non clientem fefelli, non hoſpitis, aut parentis ceruicem fregi, non venena propinaui; neque incolumitatem flagito, vt deinde diuitias con-

ram, vt inſtitor nauigem ad Indos, vt rapiam, ſed vt ſeruiam tibi. Quod ſi me optas miſerum, non deerit vitæ miſeria, non curæ, non ſollicitudines, non labores, non dolores mentis, & corporis (quæ attingentur.) Sic ero diutius miſer, hilaris tamen, quia beneficium erit, eas perferre miſerias. Vos adeò Cœlites præſides, diuinum conciliate Numen. noſtis vos, qua prece flectatur: eam fundite, vos Numen audit, poſtulata indulget. Certa iam ſpes animum illabitur mali euertendi, hinc fœlicior viuam.

Idem, aut quid ſimile vſurpabitur ad impetrandam peccatorum veniam, vel alterius ſalutem: ad bella, & ſeditiones opprimendas. Similis oratio habebitur ad Principem, pro ſua vel alterius leuanda calamitate. Porro his facem prætulit Ouidius eleg. 2. lib. 1. Triſtium.

Boni aſſequendi exemplum dabit aliquis cogitans aſſequi doctrinas, & ſapientiam. Sic autem aget votiuo carmine. Non ità pluuiam arens terra, aut aquis inundans ſolem expectat, vt ego irrigari cupio diuinis donis. At ſol, & ſurdæ nubes ſupplicantem non audiunt. Tu Deus audis preces, & obſeruas petentum lacrymas. Tu προσευκτικόν.

quò aures, & oculos aduertis, omnia bonorum genera deuoluis. Quid autem tibi promptius, quam hæc exigua præbere, qui omnia Mundo ſufficis? ea nos fidentes noſtris opibus fruſtra tentamus aſſequi. ſic æger corpore vanum tentat iter. ſic ales exuta pennis, & volatum aggreſſa decidit. Video equidem bonum in propinquo, nec habere poſſum. Fœlix, qui potuit rerum cauſas cognoſcere: & exinde ad earum prouehi conditorem, nihil homine dignius, aut immortali animo delectabilius, & vtilius, quàm peritura ſimul, atq. æterna intelligere, ſeque eorum ſcientia ſuauiſſimè paſcere. Quo loco multiplex, & varia cognitio exponenda, quam afferunt diſciplinæ, arteſq. liberales. Me miſerum, tam prope iſta video, nec obtineo. Tu, qui cuncta præbes, non hæc præbebis? Qui diuitias, qui regna, qui ſceptra offers non cogitanti: volenti, petentiq ſapientiam non dabis? Olim paſcebat Gregem Dauides puer: hunc vocaſti ad regnum, iuſſiſti vt ſenior ſacerdos Regem inungeret, ſubieciſti illi Palæſtinam (quæ canenda prolixius, & alia exempla.) Ego ſupplex non vocabor in regiam Sapientiæ? Id profecto tribues, & non ingrato. poſt hac memo-

memores annos tibi dedicabo: ſi quæris dōnaria templis, offeram: ſi iubes cognita euoluere, imprudentes docere, prodeſſe mortalibus, libens efficiam.

Idem haberi poterit pro impetranda victoria, Pace, frugum vbertate, & ſimilibus. porro quem ducem in exemplo ſim ſequutus, non habeo dicere. Si carmen cum voto, & precibus ſcribatur in diſceſſu, inter propemptica cenſebitur, de quibus paulò poſt.

Soteria. Cap. XVI.

Soteria ſalus eſt: vel numero multitudinis, Munera ob recuperatam ſalutem ab amicis miſſa. Inter quæ carmen locum non vltimum habet. Incolumi ergo ſeruatoq. ciue, duce, exercitu, populo, Soteria ſcribitur, in hanc ferè formam. σωτηρία. σωτήρια.

Sentit vota Deus, & ſalutem indulſit petentibus. quique malo opprimebatur, malum remouit: ergo ſoluite amici querelas, fugate mœſtitiæ nubila; recuperaſtis cui timebatis, & quantum, inſtar in illo eſt? (vbi ſeruati laudes percurrendæ, quid pro patriæ gloria, quid pro ſalute publica fecerit memorandum. Ex tantis laboribus

repente in morbum incidit, aut bello captus ab hoſtibus, raptus in vincula: quæ paulo fuſiùs deſcribenda. Quæ tunc triſtitia mentium? quis dolor? quæ lacrymæ? Quem modo, dicebant, Superi dabunt, qui præſit? qui iudicet? qui bellum gerat? & referant hi ſingulares virtutes, victorias, ſapientiam: tum medentium, ſiue militum auxiliares copias aduocent, vt remedia, arma expediant. Quin potius, ſubdent, fauete Cœlites, placate Numen, malum depellite. Hæc omnes paſſim aiebant. quorum ego primus noctu, & interdiu inſtaurabam preces. Nec fruſtra; amicus conualuit: dux liberatus eſt, peſtis populi abijt. Quo loco auxilium de Cœlo delapſum aliquo figmento enarrari poteſt. poſtremò ſpondeat ſemper acturum beneficij gratias, daturum munera. Ex Soteria Statij. *lib. 1. Syln.*

Gratiarum Actio. Cap. XVII.

εὐχαριστικόν. Statius.

OB beneficium acceptum, Carminis grata redditio eſt. Initium varium eſt. Alios multa dignè laudaſſe, ſe parem non eſſe canendo, tametſi venis ab omnibus carmen fluat. Vel: Acturum ſe gratias, non

non gratia remunerationis, quàm largitoris beneficientia non poſtulet; Mutuum enim non repoſcunt beneficia, quæ magnitudine præcellunt. Vel: Homini interdum decorum eſſe, non poſſe laudare beneficum, & viuere obſtrictum beneficio. Idque ſibi accidiſſe. Tanta enim moles beneficij eſt, vt cùm dicat ſe ab altero accepiſſe, miretur quomodo acceperit; tum propter tenuitatem, indignitatemq. ſuam: tum propter dignitatem, & Maieſtatem illius. Narranda cauſa, locus, tempus accepti beneficij: & ipſum expendendum, & exornandum. Vbi & locus deſcriptioni. Inde excurrendum in largitoris laudes ortas præſertim ex ipſa largitione, quas facit dandi facilitas, liberalitas, hilaritas, celeritas, prudentia; additis comparationibus conglobatis, & minoribus exemplis. Adduntur alia, quæ alijs ab eodem non minori indulgentia, & pietate tributa ſunt. tum res geſtæ illius, & egregia facinora. Deinde ad gratias agendas redeundum, inuitatis ad eaſdem referendas dignioribus populis, prouincijs, ipſo qui dedit, eiuſq. virtutibus. danti optanda bona quam plurima, quies, imperium, longa vita, gloriæ immortalitas, & nominis: *Auſonius.*

addendumq. omnium eſſe vota, & deſideria, vt ijs, vt etiam maioribus cumuletur donis, ſerus Cœlum petat. Statius hæc admonuit in Epulo Domitiani: & Auſonius in Gratiarum Actione ad Gratianum.

lib. 4. Sylu.

Adhortatiuum carmen. *Cap. XVIII.*

προτρεπτικόν. παραινετικόν.

IDem Græca voce Protrepticum, & Parænecticum eſt: cum alteri præcepta vitæ, vel ſapientiæ tradimus, & ad virtutem, & gloriam excitamus. Huius poëmatis hæc eſto periocha. Iuſta rogat amicus, dabimus & iuſta petenti: qui noſtra conſilia efflagitat, veluti conſulat Oraculum nec deerit nobis fides, vt ſalutaria aperiamus; quanquam fortè non ità valet imprudens animus, ſed nunc ſolito acrior vires intendet omnes, cum intelligat magno viro dari conſiliũ oportere. Tu enim, ò iuuenis digna te concipis, & ſtirpe tua. Nam auis, atauiſq. clarus illorum veſtigia ſequeris. (vbi laus familiæ, maiorum, parentum, & aliqua præclari facinoris narratio, quod illi fecerint, huic perſimile, de quo agitur.) Diſce ſequi præcepta, & exempla, qui egregia indole cognatam vir-

virtutem amplecteris. (vbi plura de eius laude.) ſed magis deinceps laudaberis agendo maiora, quæ modo admonet aliquis è maioribus: qui fingatur loqui. Ille agenda proponat, confutet contraria, proferat ſua, & aliorum exempla, rei vtilitatem, iucunditatem, honeſtatem, opes, & honores acquirendos, nominis famam. Hæc monuit Pater. Ego quid addam? Illud age nihil rectius ages. Hæc ex Statio in Protreptico ad Criſpinum, & Claudiano. Adhortantis ad ſtudia, & docentis exemplum præbet Auſonius in Protrept. ad Nepotem. Idill. 5. *lib. 5. Syln. de 4. Conſ. Honor.*

Dimiſsio, ſeu Dimiſſorium Poëma. Cap. XIX.

DImiſſorium poëma, quod Græci *προπεμπτικὸν* dicunt, ſcribitur in diſceſſu. declaratur illo in abeuntem amicum beneuolentia, periculorum metus, deſiderium reditus. Diſcedat ergo aliquis ex Italia in Luſitaniam, maritimo vel terreſtri itinere. Tum ſic amicus, vel conſanguineus ſcribet.

Inuocabit primo Cœlites præſides maris, ſi mari eſt eundum, vt adſint, vt faueãt,

vt ſecundos adducant ventos, aduerſos remoueant, necnon tempeſtates, & procellas. Tum vocabit maris Incolas, vt nauim circumſtent, defendant, vela, rudentes inſtruant. Iter enim facturũ amicum optimum (vbi eius laus, & ſociorum, ſiqui ſunt) diſceſſurum ex Italiæ littore in Luſitaniam (quo loco vtraque Prouincia ſuam habebit laudem) tum ſubdet: & iam amici circumſtant, amplectuntur, lamentantur, vnà cupiunt abire. Quorum aliquis queretur inuentam nauigationem, digredietur ad ſeculum aureum, quo quiſque in natali ſolo conſenuit. memorabit deindè pericula, tempeſtates, naufragia, viæ longitudinem, diſcedentem à diſceſſu dehortabitur. Sed fruſtra queritur (inquiet poëta) iam amicus nauem aſcendit, diſcedit. Aſpice, tranquillo vehitur æquore puppis (deſcribenda.) Ah ne turbatis fluctibus incubet Caurus, oriantur procellę (deſcribendæ.) Horum cauſa ego ſomnum non capiam, te ſequar, tibi præſens adero, cuſtos iter ſoſpitabo. Quod ſi interdum non adero, tum pro te vota ſuſcipiam, placabo ſuperos, vt omnia tibi proſpera ſuccedant. Nec fruſtra. tanges optata littora, ibi morabere, reuehes merces, opes, incolumi-

lumi-

lumitatem, victoriam. Sed quando aderit reuerſionis dies? cum iterum & licebit propius alacrem intueri, amplecti; tu poſtulantibus iter expones, tua pericula, victorias, mores illius gentis. Ego quid hic egerim, narrabo. Hanc diem Superi cito concedite. Hæc ex Statio deprompta in Propemtico Metij celeris. Et aliqua ex Horatio. Tibullus etiam lucem dedit lib.1.elegia 3. Ouid.el.11.lib.2. Am. Eadem ferè dicenda ſunt, ſi terreſtre ſit iter. Hæc amici in diſcedentem. *lib. 3. Syl. od. 3. lib. 1. & od. 1. lib. Ep.*

Diſceſsio. Cap. XX.

IAm diſcedens mutuo officio dicet in corona amicorum. (Hoc carmen Diſceſſionem appello, quod Scaliger ἀποβατήριον.) Adeſſe diſceſſionis graue tempus, & propter dolorem neſcire ſe an ſit eundum: vbi aliqua comparatio. Egredior (inquit) reuocor: pergo, reuertor: pedes ad limen offendunt. Ergo hoc cœlum, hæc ciuium ſydera, hanc patriæ lucem relinquam? ibo ad exteras gentes? Vbi laus patriæ, ciuium, familiæ, propinquorum; loci, regioniſquè; quæ difficilem diſceſſum oſtendunt. Adduntur amicorum querimoniæ,

niæ, & pericula, quæ variarum longinquitas affert. His omnibus abeundum non eſſe ſtatueram; quomodo enim tot bona deſeram? tot mala incurram? Sed vrget ineuitabilis neceſſitas. Quo loco opportuna erit digreſſio in coactam mortalium ſeruitutem: in vitæ incommoda neceſſario ſubeunda. Vnum tamen efferam in magno dolore ſolatium; quod omnium effero dolores, & deſideria: vt ipſe relinquo dimidium animæ. Neque enim procul viuere poſſim, niſi amicis præſens; quorum preces vt mihi affuturas reor; ità viciſſim oro Deum, ac cœlites, vt omnes in meum aduentum ſeruet incolumes, ſiquid mali immineat in meum vertat caput. Quædam ex his inſinuauit Ouidius.

El. 3. lib. Triſt.

Poëma in reditu. Cap. XXI.

Reuerſionis carmen ἐπιβατήριον Gregis eſt. Hoc ità, reuerſus panget. Tibi hominum, & cœlitum ſumme Rex, voti reus grates primum perſoluo, qui me incolumem Patriæ, & huic cœlo reddidiſti. Quantum enim mihi redditur, cui ſemel ciues, cognati, hæc Vrbis ſpecies, ac celebritas, mea omnia redduntur? Vbi laus

Pa-

Patriæ, Prouinciæ, Ciuium: poſtremò conſanguineorum, quibus dicet ſe partem gratiarum debere, qui ſe abſentem precibus, conſilijs, & opibus iuuerint. An quoties cum longe aberam de vobis cogitabam? quoties cum ſociorum aliquis morbo, aut morte opprimebatur, tum ipſe languebam, animo referebar in patriam? aiebam, non ergò licebit mori in paterna domo, inferri maiorum ſepulchro? En erit illa dies cum reuiſam cognatos, liberos? venit tandem fauſtior quàm putabam. Nunc iucundum eſt prætæritos meminiſſe labores, pericula, itinera. Hic narranda ſeries profectionis, reuerſioniſq. deſcribenda loca, & vrbes, referendi gentium mores, narrandæ res ab ſe geſtæ, decora gloriæ, reportatæ opes, vel ſapientiæ. Tum commemoratione beneficiorum laudandi exteri, quorum officijs, muneribuſq. decoratus ſit, non ſine actione gratiarum. Afferentur aliorum exempla, qui domo profecti ſimilia geſſerint, & acquiſiuerint. Nec tamen ea comparatione quærenda iactatio, & tumor. poſtremo cuncta ſua amicis offeret; redibit ad preces, orabitq. iterum cœlites, vt quemadmodum profectionem ſuam reditumq. ſoſpitarunt:

Tibull. lib. 1. eleg. 3. ad Meſſal.

tarunt:

tarunt: ſic moram ſoſpitent in patria, luctus amoueant, & intempeſtiuos interitus. Non alienus ab his Cicero eſt in Orat. poſt. redit in Senatu. Neque illa indigna ſunt carmine, oratorio exarata ſtylo. Aliqua item habet Homer. in reditu Vlyſſis. Iam poëmatis periocha, quod amico, vel Principi redeunti offertur de ipſo reditu, hæc erit.

Odyſſ. lib. 23.

Mirabar, quid præter ſolitum ſol diem ſerenior duceret. Sed quæ te reducem videbat, clarior & ipſa ducebatur. Nempe & tu lucem nobis cum ſole diſpenſas fortunatam, & fauſtam. Vt tandem rediſti? vt ſolito pulchrior, & carior?

Homerus Odyſſ. lib. 23.

(Aliqua hic hominis deſcriptio, & laus) Ideò exteræ gentes te magnopere ſuſpexerunt; ideò genus noſtrum, & ciuitatem commendant, quod per te diffuſus noſter illis lucebat ſplendor. Tu ſeu loquereris, mellea facundiæ verba fundebas: ſeu conſilium dares, edebas noua oracula: ſiue inſigni cultu ornatus incederes in aula Principum, in oculis ciuium, omnium pulcherrimus, & præſtantiſſimus videbare. Sic Achilles in caſtris achiuis: ſic Lacedemone Caſtor. poſt conglobatas comparationes, res ab illo geſtæ laudentur.

tum

tum exteræ Ciuitati, vel Prouinciæ attribui perſona poteſt, partim inuidens patriæ illius: partim ſuos ciues conferens non ità præſtantes: partim mœrens, quod hoſpitem non retinuerit abire cogitantem. adeò miretur eius virtutem. *Tum poeta:* & vera dicebat. Sed plus apud te valuit patriæ, tuorumq. charitas, cuius gratia ſpreuiſti externos honores laudes; & niſi feciſſes, ipſa te patria; ciueſq. iam ſolliciti reuocaſſent. Ergo mane, noſq. diù exhilara; tecum omnes gaudebimus, vbi exponendum, quid afferat commoditatis publicè, priuatèq. eius aduentus, ac reuerſio.

Claud. Romæ perſonam attribuit.
In Paneg. de 4. Conſ. Honorij.

Panegyricus. Cap. XXII.

Significat, Πανήγυρις publicum populi conuentum, & loci celebritatem, in qua cùm alia fiunt, tum recitatur ab oratoribus, & poëtis. Ea dedit nomen orationi, & carmini; ſicut latinis concio & locus, & populus frequens, & oratio eſt; Sed cum panegyris præter laudationem alia etiam queat comprehendere; huic tamen præcipuè accomodatur, vt iam hac ſolum videatur ſignificatione contenta.

Hoc

Hoc genere poëmatis nihil hodiè vſitatius, quia eſt exornatiuum, & nos fere de Sanctis, aut Principibus viris, aut in aliorum laudem verba facimus.

Iam Panegyricus vel ſine figmento, & fabula, vel cum illa ſcribitur. Si cum fabula, certum aliquid præcipi non poteſt. Nam materiæ, iuxta ipſius varietatem aliquid affingitur. vt, ſi laudes bellatorem, petes aliquid ab Heroibus, à bellorum pręſidibus: ſi ſapientem, ab Eliſio ſapientum choro: ſi ſanctitate inſignem, ſanctos de cœlo viros, Beatas mentes, Dei prouidentiam, ſapientiam, gratiam deuocabis: arcana cœlitum penetralia, vnde futura prędicuntur, reteges, & ſimilia. Si ſine figmento, ſaltem poëma totum complectente, ſcribitur; (qui modus peruulgatior eſt) de viuente triplicem ob cauſam haberi poteſt Panegyricus. Vel enim ſcribitur ſolum, vt alter laudetur: vt à Claudiano in laudem Stiliconis: Vel quia præceſſit egregium illius facinus: vt victoria: ſic idem ſcripſit peracto à Stilicone bello Getico. Vel quia init magiſtratus, & honores in ciuitate: ſic idem Poëta in Honorium, Olibrium, & alios: Statius in Domitianum ſcripſere.

In

In his, præter initia idem fermè eſt modus laudandi, Oratorio non diſſimilis. In primo ergo genere dabit initium vel grati animo ſignificatio, vel meritorum magnitudo, vel communis omnium laudatio, & lætitia, vel exempla maiorum, vel grauis aliqua de merito virtutis, de gloria, de nominis perennitate, ſententia: Tum contexta ſerie vitæ deducitur laus primum à Patria, ſiue Patriæ regione; deinde à maioribus, & parentibus: Tum à Natali die, & ijs, quæ illo geſta ſunt, aut fortè acciderunt: tum ab educatione, indole, & iuuenili inſtitutione. Tum reliqua bona exponentur propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formæ, virium, ingenij, cęterarumq. rerum, quæ ſunt aut corporis, aut extraneæ: ſi habuerit, benè his vſum: ſi non habuerit, ſapientèr caruiſſe: ſi amiſerit, moderatè tuliſſe. Deinde quid ſapienter is, quid liberalitèr, quid fortitèr, quid iuſtè, quid magnificè, quid piè, quid gratè, quid humanitèr, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Cæterum virtutes non veluti abſtractæ à rebus, ſed cum ijſdem geſtis exponuntur, additis cõparationibus, deſcriptionibus locorum, temporum, perſonarum animantium, inanimo-

Cic. 2. de orat.

nimorum, breuibuſq. digreſſionibus. Denum ſi totum poëma fabulam non habet, eius aliqua ſaltem pars figmento carere non debet, inducta per Proſopopœiam Prouincia, Vrbe, familia, fama, gloria, euocatis maioribus, virtutibus, Heroibus.

In ſecundo, & tertio genere, cùm egregij facinoris, quod præceſſit, aut initi magiſtratus, & honoris gratia habetur laudatio: Initium erit breuis ipſa facti, & honoris expoſitio cum admiratione, plauſuq. inuitatis ad celebritatem, commendationemq. populis: vrbium fictis perſonis, ſeu regionum, montium, fluminum: Sole, vt clarius luceat, anno vt purior, fauſtiorq. decurrat. Deinde laudes vt ſupra contexuntur. Sic Statius. Sic Claudianus, ſic alij Panegyricum ediderunt. Verum in ſecundo genere facinus præclarum, cuius gratia ſcribitur, fuſiùs eſt exponendum (vt bellum Geticum à Claudiano) illuſtr[...]bus explanationibus, epiſodijs, figmentis, col-lationibus, ſententijs: Tum in loco [...]texenda ſunt reliqua bona corporis, an[...]ni, & fortunæ, vt integra ſit hominis l[...]us. Quanquam & hæc ſi omittantur, [...]itio poëmati vertenda non ſunt. Hæc poſt[...]ma Panegyrici forma in laudandis ſanctis [...]iris

In 17. Cõſ. Domit. *In 3. & 6. Conſ. Honor. & alior. Conſ.*

ſern

fermè adhibetur; aliquid enim ab illis cum virtute, aut admirabilitèr factum exponimus, cum omnia complecti nec temporis, nec poëmatis breuitas ſinat.

ADDITAMENTVM.

LOcos poëtarum indicabo, vnde præcepta accepimus. id enim Panegyrici dignitas poſtulat. De prouincia, prouinciæq. laude Claud. de 3. Conſ. Honor.

—— & quæ diademata mundo
Sparſit Ibera manus, nec tantum vilior vnda.
Promeruit ſeriem gentis. cunabula fouit
Oceanus, Terra dominos, pelagiq́ futuros.

Et paulò poſt. *Hiſpania Patrem*
Auriferis eduxit aquis.

De maioribus, & parentibus. Lucanus, ſiue quis alius ad Calphurnium Piſonem.

—— Nam quid memorare neceſſe eſt,
Vt domus à Calpo nomen Calphurnia ducat?

Sidonius Apollin. *Sidon. in Panegy. ad Anthem. Auguſtũ. loc. cit.*

—— Tali tu Ciuis ab vrbe
Procopio genitore micas, cui priſca propago.
Auguſtis venit à proauis. Claudianus.
Hinc proceſſit auus, cui poſt arctoa fremẽti
Claſſica Maſſilas adnexuit Africa lauros.

Z *Sed*

Sed laudes genitor lõge transgreſſus auitas
Subdidit Oceanũ ſceptris, & margine Cœli
Clauſit opes.

Ibid. De Natali die Claudianus.
—— hoc nobilis ortu
Naſceris æquæua cum maieſtate creatus.
Quæ voces auiũ? quanti per inane volatus?
Qui vatum diſcurſus erat? te ſenſit Hetruſcus
Augur, & inſpectis Babylonius horruit aſtris.

Loc. cit. Sidonius.
Te naſcente ferunt exorto flumina melle.
Dulcatis cũctata vadis oleiq; liquores Iſſe.

Paneg. 1. Stil. De educatione, & inſtitutione. Claud.
—— Mens ardua ſemper.
A puero teneriſq; etiam fulgebat in annis.

In 3. Conſ. Hon. Idem de Honorio.
Reptaſti per ſcuta puer, regumq; feroces
Exuuiæ tibi ludus erant. Sidonius.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtina tractare manu.

Paneg. 1. in Stil. De bonis corporis, fortunæ, & animi. Claud.
Membrorumq; modus qualem nec carmina fingunt.
Semideis: quacũq; alte gradereris in Vrbe
Cedentes ſpatijs, aſſurgenteſq; videbas.

Luca-

Lucanus de Piſone:

Sed ſup̄ iſta mouet plenus grauitate ſerena
Vultus, et inſigni perſtringit imagine viſus.

Claud. in Probum, & Probinum, & Olibrium.

Hic nō diuitias nigrātibus addidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, ſed largior imbre,
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.

Lucanus ibidem.

Ipſaq́; poſſeſſo: mens eſt opulentior auro.

Claudianus de Manlio Theodoro,

Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ
Diſcutiens quid quiſq́; nouum mandauerit æuo,
Quantaq́; diuerſæ producant agmina ſectæ.

Idem in Stilicon. Paneg. 2.

Iuſtitia vtilibus rectum præponere ſuadet
Communeſq́; ſequi leges, iniuſtaq́; nunquā
Largiri ſocijs: durum Patientia corpus
Inſtruit, vt nulli cupias ceſſiſſe labori:
Tēperies, vt caſta petas: Prudentia, ne quid
Inconſultus agas: Conſtantia, futile ne quid
Infirmumq́; geras.

Quæ paſſim apud Poëtas, & auctores leguntur, qui ſcripſere Panegyricos.

Animantium, & Inanimorum laus. Cap. XXIII.

CÆterorum tàm animantium, quàm inanimorum laudem cuiuſquè perfecta, & abſoluta natura perficit. Hæc enim illorum bona ſunt. Sic in fonte commendatur purus, affluens, frigidus, dulcis humor, ſaliens, quieſcens, egregia circum naturæ, vel artis ſtructura: loci in quo eſt, amœnitas & opacitas: ſi qua vis peculiaris ineſt ad abſtergendum. curandoſquè morbos. aliqua ex his, aut omnia. Horat.

Lib. 3. od. 13.

O fons Blanduſiæ, ſplendidior vitro
(Hædus) *gelidos inficiet tibi riuos:*
Te flagrantis atrox hora caniculæ
Neſcit tãgere: Tu frigus amabile
Prabes Saxis loquaces lymphæ deſiliũt tuæ.

Sic in Pſittaco Statius Syluar. lib. 2. Laudauit plumæ colorem, pulchritudinem, cicur ingenium, imitationem humanæ vocis, & comparationibus exornauit. Addi poteſt fabula, vt fecit idem in arbore Atedij.

Porro in laudibus inanimorum præclaræ illæ, quæ ſunt regionum, & vrbium. In regione commendatur malorum, no-

xia-

xiarumq. rerum abſentia, fœcunditas armentorum, pecorum, arborum, ſegetum, vitium, verna terræ amœnitas, cœli temperies, flumina, lacus, portus, metalla, vrbes, populi, eorumq Principes pace, belloq. incliti. Hæc Virgilius in Italia. In vrbe laudatur cœlum purum, tenue, temperatum: plaga ſalubris: ſoli circumiacentis vbertas, & frugum omnium copia: ſitus natura, & opere munitus, vitalibus aſpirationibus, mercimonijs, gentiumq. conuentibus expoſitus: antiquitas, claritaſq. fundatoris: ædificiorum pulchritudo, amplitudo, ſublimitas: Principes Heroum ſimiles: Ciues forma decori, ſuaues moribus, religione præſtantes, pacis, militiæq. ſtudijs nobiles, iuſtitia, maiorum gloria, diuitijs, diſciplinis, doctrinis, inſtitutis, imperio, reiq. publicæ opibus inſignes. Claudiarum in 3. Paneg. Stil. de Vrbe Roma.

Vituperatio. *Cap. XXIV.*

HAec, inquit Cicero, *& quæ ſint eius generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam; & qui vituperare contraria.* Quare ſicut bona in laudatio- *2. de Or.*

ne: ſic in vituperatione vitia, & mala, animi, corporis, fortunæ commemorantur. ſic Menam libertum vituperare potuit Horatius ab ignobilitate, ac ſeruitute, quod malum eſt fortunæ: à percuſſionibus, & vinculis, quod malum eſt corporis: à tumore, ac ſuperbia, quod vitium eſt animi. Eadem vitia Ruffino, & Gildoni, & Eutropio exprobrauit Claudianus non ſine figmentis, & fabulis.

Lib. epod. od. 5.

Diræ. Cap. XXV.

Carmen eſt maledictis, imprecationibus, execrationibus plenum. Hoc deuouent iniquum caput: abeſſe bona, mala quæcunque illi adeſſe peroptant, non ſine querela, iurgio, conuicio. Exponunt cauſam, & ſcelus, propter quod ille mortalium nequiſſimus ſit crudo carmine vulnerandus. Nec ſilent cætera malefacta, facinora, periuria. Adnectunt interdum commentitiam fabulam, cauſamq. mentiuntur, vnde tanta criminum labes extiterit. Aiunt quippè naſcentem illum Furiarum exceptũ manibus, aſtrictũ anguibus, veneno imbutum, afflatum facibus, lactatũ vberibus, vipereos animæ ſenſús, ebibiſſe.

tum

tum illi adimunt vſum elementorum, alimentorumq. Optant, vt aër, ignis, venti, imbres, cætera illi noceant: ſubtrahunt humanæ ſocietatis ſolatia omnia, ingerunt cruciatus, dolores, ægritudines, interitus, pœnas etiam poſt mortem miſerè luendas. Itaque cautè ſcribendum, niſi fortè exercitationis cauſa in aliquem ficti nominis, aut è priſcis facinoroſis. Auget vim dicentis repetitio verſus intercalaris, vt ſcripſit Stephonius in Herodem graui, & luculento carmine nondum edito:

Incipe, deuoueo crudeli carmine Regem.

Ouidius qui ſuppreſſo nomine hominem ſuæ ætatis hoc lycambeo telo transfixit, docuit aliorum quoque in ſimili ſupprimendum.

Epicedium, & alia funebria. Cap. XXVI.

EPicedium, vt ex Seruio Scaliger, erat recitatum carmen, mortui corpore nondum affecto ſepultura: & funebri orationi reſpondet. Epitaphium ad Tumulum haberi, & repeti quotannis, ſaltem illuſtrioribus ſolebat. *Lib. 3. poe. c. 122.*

In Epicedio alloquitur poëta initio cõ-

ſanguineos defuncti, & amicos, vel ciues, dicetq. audiſſe ſe, & audire eorum gemitus, videre lacrymas: nec interueniſſe, vt cantu dolorem leniat, ſed augeat ſuo luctu. Fleant ergo, plorent amiſſum bonum: ſe quoque multum ploraſſe, plus ploraturum. Quis enim temperet à lacrymis cum viderit iuuenem, Senatorem, Principem languentem, expirantem, elatum, pallentem in pheretro? Hic ergo ille eſt, quo nemo erat in Vrbe pulchrior? (deſcribendus forma, veſtitu inſignis) aut fortunatior? (deſcribendus item opibus, clientelis affluens, gratia, principatu.) Heu quantum mutatus ab illo? iterum deſcribendus exanguis, ſilens, pallens, mox terra tegendus. Nimirum hæc mala reliquiſti dura, mors, vt tanta bona ſubriperes; nec illa, ſolum, ſed multo potiora, & clariora, nempè virtutes. quæ attexendæ cum rebus præclarè geſtis, atque omnia comparationibus, breui aliqua digreſſione, deſcriptione, grauibus ſententijs, querimonijs exornanda. Quis enim poſthac imperabit rectius populis? aut quis ſapientiam colet conſtantius? aut quis reget exercitus? aut in puluere martio ſimili certamine depugnabit? quæ pro varietate

per-

perſonarum varia ſunt. At mors inuida poteras tu quidem his parcere, nec tantam bonorum copiam nobis auferre. Neque enim defuncto nocebas, cuius virtutem, famam, & gloriam ſuperſtitem obruere non poteras; quæ tuam falcem non metuunt. Et iam ille, ſeu famæ ſublatus alis, ſeu curru gloriæ inuectus orbem peruolat, melliorq. viuit. Immo virtus cœleſtes illi orbes aperuit, vnde mors doloris, mœroriſq. artifex longiſſimè exulas. Hanc ille fœlicitatem adeſſe cum videret mortem lecto aſſidentem, mox ſimul ituram non expauit, prohibuit lacrymas, & querimonias. Senſerat enim & honores, quos illi patria, ciueſq. decretos in morte tribuerunt. qui memorentur. Quod ſi quis adhuc ſenſus doloris eſt, noſtram gemamus vitam, qui malis quotidie premimur, quotidie morituri.

Iamuero Epitaphium, ideſt carmen habitum ad Tumulum, ſiue anniuerſario cultu, ſiue alia de cauſa, ſic poëta conformabit. Dicet initio miſero ſibi diſplicere carmen, & optare capiti taxum, vel cupreſſum, quanquam ſentiàt è vitalibus mortui cineribus orituram ſibi laurum. Tu ſcilicet nouus mihi Phœbus tuas me laudes docebis,

cebis, ſolas amantem lacrymas, & querelas. Vellem quidem alios tibi, ac perpetuos honores inſtituere, nec minus celebrare tui diem interitus, quam olim ſeu Cæſarum, ſiue Heroum celebraretur. Igitur huc ad Tumulum vocarem ſacros longo ordine patres, qui lineis candidati tunicis animam primum piacularibus precibus ſolemnitèr expiarent: omnia circum luminibus fulgerent: in medio compactilis moles ad templi laquearia ſurgeret: Tum laudes tuas certatim euoluerent oratores, & poëtæ diſertiſſimi. Vt natus ex illuſtri parentum ſtirpe, maiores illuſtraturus, vt educatus ad virtutem, ad ſapientiam; vbi recurrit ſuperius panegyrici artificium. referant illi egregia belli, paciſq. facinora; & referenda. At cum intempeſtiua tuæ mortis tempora memorarent, tum vero ad luctum, ad lacrymas non modo ciues, ſed ipſos etiam lapides cierent. Hic nè dignus æternum viuere, tam citò interijt? & potuit dura mors illi non parcere? Nec tamen mors eſt deploranda, quæ meritis, & gloria onuſtum inuenit: eſt enim aliqua foelicitas, fœlicem occumbere: tu, cum virtute ſtraueris tibi viam ad immortalitatem, id es morte conſequutus, vt ne

pares

pares inuiderent: omnes ſpontè cederent honorarent. Denique conſolatores nobis reliquiſti poſteros, & ſucceſſores tuos, quorum par ingenium, indoles, virtus. Primo poëmati, exemplum præbuit Statius in Epicedio in Glauciam Melioris: Secundo in Patrem. Ouidius in Morte Tibulli. & idem Statius in Epicedio in filium. Hæc in vniuerſum. quanquam diuerſus eſt pro iuuene, pro viro, pro fœmina, pro ciue, duce, rege tractandi modus. *Li.2.Sylu.* *Li.5.Sylu.*

Eadem ſeruanda in Monodia, quæ vnius querimonia eſt ad defuncti memoriam celebrandam: & in Nænia, quæ eſt carmen quod in funere laudandi gratia, canebatur ad Tibiam, à Simonide inſtitutum, & commune omnibus funeribus. Porrò in Threnis, quæ ſunt lamentationes in excidijs vrbium, commemorationi bonorum præteritorum quæ cap.23. enumerauimus, ſubtexitur ſequuta calamitas: nempe obſidium, fames, direptio, incendium, ruina, ciuium miſerabilis vel cædes, vel ſeruitus, quorum aliqua fuſiùs enarranda: præponique hæc narratis bonis, aut interponi queunt; interiectis ad Deum, cœliteſq. precibus, vt aliquis tantorum malorum aliquando ſit modus aut finis, & vrbs ſuo è ci- *Scalig lib. 3.c.122.*

è cinere reſurgat. Demum Epitaphia, ſiue inſcriptiones tumulorum verſu comprohenſæ epigrammata ſunt, de quibus paulò poſt, & nomen, breuemq. laudem eorum, qui ibi conduntur, aperiunt.

De Epiſtola. Cap. XXVII.

AD abſentem varias ob cauſas verſu ſcribitur Epiſtola. vt admoneas, vt gratias agas, & reditum gratuleris, vt conſoleris. quibus ſuperiora poëmata ſuppeditabunt argumentum, & ea, quæ de odis infra dicemus. Vt reditum moranti ſuadeas, mittitur primo ſalus, quam ipſe referat, non litteræ. Cur enim tandiù velit abeſſe? iam confecta eſſe propter quæ diſceſſerit, & breuiter deſcribenda; præſertim ſi vertantur ipſius laudi; morandi cauſam iam vnam eſſe, vt dolorem ſuum augeat. Cur velit apud exteros conſeneſcere: redijſſe cæteros cum illo profectos; quorum reditu gaudentes amici ſolum ſe gaudij expertem videant. Interim tamen aliquam oblectationem percipere, aliquid vel audiendo, vel de abſente cogitando. Habere ſe pictas vrbes, & regiones in tabula; illas ſæpe recognoſcere, &

animo

animo hæc reuoluere: Nunc forte amicus in vrbe dat Muſis operam: nunc in ciuium conuentu recitat, nunc exercetur equo.

Ah ne illum arma lædant, ah ne æſtus, ne frigus exurat. Sed fortè promeritus eſt, qui non ſtetit promiſſis. Nonne ſe reuerſurum dixerat? nonne teſtes meas lacrymas, & gemitus adhibuerat? Ite precor faciles oculis lacrymæ; ſi aliqua à vobis litura ſit, ille plus leget. vos loquaces exponetis, quàm crucior, quàm vexor. Hic ſqualet deſerta domus, aſſidua ſuſpiria, aſſiduæ voces te reuocant. Quod ſi nolis audire, durior ſurdis cautibus, è Tigre, ac Leæna natus videbere. Sed nunquam illam feritatem animo induiſti, audies igitur precantem, redibis. Multa huiuſmodi habet Ouid. in epiſt. Heroid. & aliquã Proper. lib. 4 el. 3.

Narratio. Cap. XXVIII.

PRæter hæc, narranda ſæpè alicuius rei, factiq. ſeries eſt. quæ alio quodam ſub genere poëſeos videtur collocanda. Hoc ego Narrationem appello. Vt Baſilicæ, Domus, Vrbis fundatæ, erectæ expoſitio: ſolemnis equitatus: ludi, itine-

ris,

ris, conuiuij. Hæc poëtica ratione narranda; ideſt crebris, vt aliàs dixi, locorum, cauſarum, perſonarum, adiunctorum deſcriptionibus, digreſſionibus, collationibus, conſperſis breuibus figmentis, aut rem totam complectente fabula, additis etiam affectibus, moribus, & perſonarum ſermonibus, vt paſſim poëtæ ſuo docent exemplo. At initium? Hoc ſi abruptum, & quodammodo ſine initio ſit, etiam decebit. vt illud Propertij,

Lib. 4. el. 10.

Amphitryoniades qua tempeſtate iuuencos
Egerat è ſtabulis ò Erythræa tuis.

Vel initium dabit inuocatio, vt *Phœbe faue, nouus.* Vel propoſitio: *Sacra facit vates.* vel vtraque ſimul: vel vniuerſalis ſententia: vel quidquid ſe in narrationem aptè inſinuat. Hoc enim in vniuerſum de principijs poëmatum habeo præcipere: quod de orationum exordijs præcipit Cicero: *Hiſce omnibus rebus* (quæ ad texendam orationem inuenta, & diſpoſita ſunt) *conſideratis, tum denique, id quod primum eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo vtar exordio. Nam ſi quando id primum inuenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune.*

2. de Orat.

Neque

Neque cum Tullio pugnat Quintilianus, cum ait: *Neque tamen eos probauerim, qui ſcribendum quoque proœmium nouiſſimè putant. Nam vt conferri materiam omnem oportet, & quid quoque loco ſit opus, conſtare debet, antequam dicere, aut ſcribere ordiamur: ità incipiendum ab ijs, quæ prima ſunt.* Nam Quintilianus de ſcribendo principio loquitur, Cicero de excogitando, & inueniendo. in quo non diſſentit Quintilianus, qui paulò ante docuerat: *Non vt quidque primum dicendum, ità primum cogitandum eſt: ſed ante omnia intueri oportet quod ſit genus cauſæ.* Primò ergo partes omnes poëmatis inueniendæ, & in ordinem digerendæ sũt: poſtea cogitandum de initio, & inuentum verſu ante reliqua pangendum eſt. Sic in fabrica vltimo cogitatur de fundamento, & primò ſubſtruitur. *Lib. 3 c. 9.*

Elegia. Cap. XXIX.

QVodcunque ferè pangitur verſu hexametro, adiuncto pentametro, ideſt Elegia, pangi poteſt. Quid enim, recepto iam à poëſis vſu, excluditur? Niſi fortè grauius aliquod facinus Heroicæ ſubli-

ſublimitatis. Quanquam & hoc non alienum à ſe Propertius putabat, cum dice-
El.2. li.3. ret: *Tantum operis neruis hiſcere poſſe meis*. Idemq. vetitum ſibi non diſſimulat obiurgante Muſa.

——— ——— Quis te
Carminis heroi tangere iuſſit opus?

Itaque quanuis elegia primo inuenta ſit ad res miſerabiles deplorandas, noméq.
Scal.lib.1. c.50. illi dederit ἔλεον λέγειν, aut ἒ ἒ, perinde ac αἲ αἲ λέγειν, tamen deinceps ad
Pont. poeſ. alia omnia traducta eſt. Neque admodum
Inſt.lib.2. c 24. placet elegiæ apud Didymum definitio
Scal. ibid. θρῆνον ᾀδόμενον πρὸς αὐλὸν, *lamentatio decantata ad Tibiam*; quæ vtpotè lugubre inſtrumentum adhibebatur in funere. Nam quòd

Ouid. faſt. 6. *Cantabat mœſtis tibia funeribus*,

In alijs etiam cantilenis funebribus adhiberi ſolita erat. Certe Nænia omnibus fu-
Ioan Kirchm. de fun. lib.2. c.5.& 6. neribus communis à Feſto dicitur, *Carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam*. Deinde iam elegia minima ſui parte funebris eſt. Quare fortaſſe non aberrarem, ſi dicerem: elegiam eſſe *poëma quod ſolo hexametro, pentametroq́; verſu dactylico conficitur*. Et ſi enim alia poëmata hos verſus, non tamen ſolos,

ſed

ſed alterius generis admittunt, vt Epigrammata.

Iam quæ de alijs poëmatis ſupra dicta ſunt, argumentum Elegiæ ſuppeditabunt. Si enim pro diſceſſu, pro actione gratiarum, pro voto ſcribitur, commune cum illis habebit argumentum, & inde petatur. Quædam tamen eius propria hic admonenda.

Stylus elegiæ tenuis, nitidus, lenis, perſpicuus: affectibus, quàm ſententijs crebrior, quas tamen ſuis locis deſiderari non ſinat. Argutiæ, quæ huius ſeculi aures tam iucundè vellicant, elegiæ præſertim conueniunt. Vt enim in oratorio ſtylo, infimũ, ac tenue dicendi genus argutiæ ſuo veluti iure vendicant ſibi: ideõq. ſubtile, acutum, argutum eſt, cuius, vt habet Tullius, *acuta, crebraq; ſententia, & neſcio unde ex abdito eruta*: ità poëticus character demiſſus, purus, elegans acuta hæc lumina non reſpuit. Quæ qui etiam in ſumma, & heroica dictione poſtulant, videant, ne Virgilium, Homerum, & alios Heroicæ poëſis principes neſcio qua ingenij vanitate accuſent, ac damnent. Adiuuat ibi caſus ille verborum & numerus in Pentametro verſu, eodemq. definita, & concluſa *In Oratore ad Brut.*

cluſa

cluſa ſententia. Initia elegiæ abſq. propoſitione, atque inuocatione plerunque trunca quodammodo: cum alloquio interdum, & apoſtropha. Extrema, abſque concluſione concluſa. Denique digreſſiones elegiam vel decent maximè, vel exornant; nec modo quæ ſenſim ad narrationem referunt, ſed quæ illam præcidunt, vt ipſæ ad finem vſque decurrant. Plura apud alios.

Robort. de eleg. Scal. poet. l. 3. c. 125. Pont. l. cit. Tarq. Gal. de eleg.

De Epigrammate. Cap. XXX.

ORigo Epigrammatum cum inſcriptionibus librorum, munerum, ſepulchrorum, aliarumq. rerum incœpit. hoc eſt enim ἐπίγραμμα, *inſcriptio*. Sed quam ob cauſam breuiſſima poëmata appellata ſint epigrammata, non ſatis liquet; fortaſſe propter breuitatem, vt poëma videatur inſcriptio. nam ſicut inſcriptiones trophœis, ſtatuis, alijſque rebus additæ primo nomine Epigrammata fuerunt: ità breuia inſtar inſcriptionum poëmata, dicta ſunt Epigrammata. Porro de his poëmatis hic ſermo eſt, illas inſcriptiones relinquimus; quæ poſſunt fieri ſiue verſu. Cuiuſmodi eſt ille Germanici Cæſaris ſuper

Scal. l. 3. poet. c. 126.

Tac. l. 2. An.

per congeriem armorum ſuperbus titulus: *Debellatis inter Rhenum, Albimq; nationibus, exercitum Tiberij Caſaris ea monimenta Marti, & Ioui, & Auguſto ſacraniſſe.* Igitur vt Epigrammatis, in quo aliquid exponitur, & concluditur, natura cognoſcatur: Non placet primò Scaligeri, & aliorum definitio, qui docent Epigramma eſſe Poëma breue ex propoſitis aliquid deducens: ſi vtiquè putant, propoſita eſſe, quæ primò ponuntur, ex quibus aliquid poſtremo deducatur. Nam quamuis frequenter hoc accidat; ſæpè tamen concluſio priora, quæ probatione indigent, notior ipſa, clariorq. probat, & roborat, vt prima deducantur ex vltimis. Sic Martialis. *Loco cit.* *Lib.6.*

Sẽper eris pauper, ſi pauper es Aemiliane;
Dantur opes nulli nunc, niſi diuitibus.

Nam qui pauperi enunciat, eum fore ſemper pauperem, rem dubiam affirmat. At ratio vulgò cognita ſubſequens in cõcluſione ambiguitatem tollit. quare non infertur, ſed infert. Itaquè concluſio ex eo genere ſententiarum ad mores actionemq. ſpectantium videtur eſſe, quæ teſtimonio Ariſtotelis ſubiecta ratione ſuam veritatem depromunt. Vt, immortalem *2. Rhet. c 22.*

iram ne ſerues, cùm ſis mortalis. Hæc enim adiecta ratio fidem facit priori ſententiæ; verum vt idem docet, modò licet præponere ſententiæ rationem, modo ſubijcere. Si præponimus rationem ſententiæ, vtimur ſententia pro concluſione oratorij Enthymematis. Hoc frequenter fit in Epigrammate, vt priores verſus contineant rationem concluſionis: tum verò ex propoſitis aliquid deducitur.

Maioragius in 2. Rhet. Ariſtot.

Martialis in Zoilum.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus.
Rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.

Priora ſententiam concluſionis probant; nam bonus animo, tot naturæ vitia non haberet in corpore. Sed contra, ſi concluſio ſuperiorum rationem continet, ipſa non deducitur, ſed ex ea inferuntur antecedentia.

Lib. 5. Martialis ad Stellam:

Quod non argentum, quod non tibi miſimus aurum,
Hoc facimus cauſa, Stella diſerte tua.
Quiſquis magna dedit, voluit ſibi magna reuerti;
Fictilibus noſtris exoneratus eris.

Lib. 5. Idem ad Cinnam:

Cum

Cũ voco te Dominũ, noli tibi Cinna placere;
Sæpè etiam ſeruum ſic reſaluto meum.

Idem ad Theodorum: *Lib.5.*

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris Theodore? magna cauſa eſt;
Dones tu mihi ne tuos libellos.

Et paſſim huiuſmodi occurrent. Itaque rectius definirem: *Epigramma eſt poëma breue, in quo illatum quidpiam cum clauſula ſcitè componitur.* Hoc enim omnibus conuenit, ſiue inferatur concluſio, ſiue probet antecedentia.

Iam vero materia Epigrammatum vagatur per omnia (nam quidquid pangi longo poëmate, breui etiam concludi poteſt) & fermè vera, interdum ficta, & commentitia eſt. Neque placet quod placuit Robortello reduci ad quatuor ſpecies poëſis, Tragœdiam, Comœdiam, Epopœiam, Lyricam: tum quia Epigrammata fermè ſine fabula, & imitatione ſcribuntur, quod non conuenit Tragœdiæ, & Comœdiæ: tum quia cum verſu hexametro ſub Epopœia, cum melicis numeris ſub Lyrica conſtitui ſatis eſt. *In explicatione Epigrãmatis.*

Porrò ſine imitatione ſunt, in quibus nihil narratur, deſcribitur, adumbratur. vt,

Martial. lib. 5.

Matronæ, puerique virgineſque
Vobis pagina noſtra dedicatur.

Quæ imitationem, narrationem quoque, & deſcriptionem breuem habent.

Mart. l. 6.

Dũ phaëthõtea formica vagatur in vmbra,
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vita contẽpta manẽte,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

Et illa breuior:

In pompeiano dormis Leuine theatro;
Et queris ſi te ſuſcitat Oceanus.

Quæ facillima mihi videtur ratio ſcribendi Epigrammatis. Aliquid nimirum breuiſſimè exponere; & inde quidpiam argutum ſubijcere. In quo etiam ſeruatur debita poëſi imitatio, & energia: nec iuuenes valdè laborant in excogitando Epigrammatis argumento, cum obuium habeant ex rebus ipſis.

Martial.

Et latet, & lucet Phaëtontide cõdita gutta
Vt videatur apis nectare clauſa ſuo.

Quoniam autem duo præſertim commendantur in Epigrammate, breuitas, & argutia; eius breuitas definita non eſt, conſtat enim monoſticho, diſticho, tetraſticho, & longiore verſuum tractu. Sed prolixitas multum demit acumini: quod quidem in ſola fermè clauſula repoſcitur, & com-

& commendatur. Quod ſi ſingulis partibus, & ſua cuiquè carmini, vel diſticho ſit argutia, & acutior vltima, perfectior erit forma Epigrammatis: ſed paſſim non requirenda. Oritur autem acumen à comparatione, à contrario: ab inexpectata, ridicula, ſalſa, mordaci, vniuerſali ſententia: ficta verborum, ſenſuumq. nouitate, vſu Proſopopœiæ, Apoſtrophes, Metaphoræ, eiuſdemq. continuatæ, ſiue Allegoriæ: qualibet denique argutia, quæ ſuperioribus, tanquam annulo gemma illigatur. Addit ſuauitatem hypotypoſis, quæ breuiter mores, affectus, actiones, perſonas, his adiuncta, & alia exprimit. Inſulſis, & languidis nihil deterius. Nam obſcœna, ideſt turpia poëticæ monſtra, illicò damnanda, & remouenda. Stylus, vt in re breui & aculeata, purus, perſpicuus, non granditate turgidus, neque inani humilitate depreſſus, & qui à medio potius in tenuem, quam in ſummum vergat.

De Emblemate. Cap. XXXI.

EMblematis origo ad Ægyptiorum vſque vetuſtiſſima tempora refertur, qui ἱερογλυφικά, ideſt ſacras figuras ad ſigni-

gnificanda myſteriorum arcana, quæ ignota vulgò, paucis duntaxat ſapientibus nota eſſe volebant. Inde mos alias peruaſit gentes, vt intimas cogitationes expreſſo, depictoq. ſymbolo declararent; præſertim in bello: vt ſe ſe, collata manu, non modò ab hoſtibus, ſed etiam commilitonibus diſtinguerent. Tum ad annulos, & numiſmata, aliaſquè voluntarias effigies transiere, non ſine epigraphe, quæ deindè pars emblematis fuit. tum additi verſus; vt præter oculos, oblectetur animus cognita ſignificatione ſchematis, & elegantia poëſis. Ità cum emblema gemina conſtaret pictura, ſilente nimirum, quæ colorum eſt: & loquente poëtica; nomen, quod mirum ſit, audijt à ſilente, accepitq. Nam Emblema picturatum eſt opus è coloratis lapillorum ſegmentis, quibus vermiculata, & teſſellata pauimenta, atque parietes olim, hodieq. veſtiuntur. ἔμβλημα enim inſertum quidpiam, & immiſſum eſt: & in re noſtra adſcitum Epigrammati ornamentum.

Tria ergò in Emblema conueniunt, Picta imago, Epigramma, Inſcriptio, quam auctores picturæ ſuperponunt, tanquam lemma, ſeu documentum emblematis. Iam

tamen

tamen pluribus in locis omnino expungitur. nec iniuria. quid enim neceſſe eſt vnicæ imagini duplex Epigramma, alterum verſu, alterum breui verborum circuitu comprehenſum apponere? titulus enim, & inſcriptio Epigramma eſt, vt ſupra diximus. Verſus notas, imagines, ſimilitudines, abdita ſenſa euoluunt, monent, docent, argute tamen more Epigrammatum.

Quod ad imagines ſpectat; primò petuntur è natura, rebuſq phyſicis: ex arte factis: ex hiſtorijs tàm hominum, quam animantium, rerumq. geſtarum memoria: è ſcitè d.ctis & apophtegmatis: ex fabulis: è fictis Apologis, & figmentis: è Hieroglyphicis, alijſq. antiquorum aut recentium ſimulacris: è voluntarijs ſymbolis; quæ, quanuis cum rerum proprietate pugnantia, excogitare quiſque poteſt ad animi ſenſus declarandos. vt, ſi quis inania molientem exprimat ſerra aquas perſecante: fortem virum famæ artificem ſuæ, pugione ſcribentem effingat. Denique, non video quæ ſimulacra damnari poſſint in emblemate, niſi vel turpia, vel à propoſito aliena, vel ſignificatione inſulſa, vel ab alijs in re eadem vſurpata.

Figu-

Figurata Epigrammata, vulgò Impreſiæ. Cap. XXXII.

NIhil hæc ad poëſim, dicet aliquis, quia verſum ſuapte natura non habent. Immo quia & habere poſſunt in Epigraphe, exponenda duxi, paucis referens, quod alij prolixè docent. Quorundam vero ſententia etiam reuocantur ad poëſim. Igitur recens hoc Schema, italiciſq. eruditorum virorum legibus communitum multo arctiores, quam Emblema fines, eaſdemq. originis ſuæ cauſas ab antiquiſſimis vſque temporibus ſortitum eſt: atque ab alijs Symbolum, Inſigne, Inſigne voluntarium, Schema, Phrenoſchema, Impreſia vulgari nomine: à nobis Epigramma figuratum dicitur. In eo enim duo ſunt, Breuis Inſcriptio, quod eſt Epigramma: & Figura; quæ quanquam incidi, ſculpi, cælarique poteſt, tamen, quia ferme depingitur, potiori etiam iure pictura dicitur.

Figura quaſi materia: Epigramma veluti forma merito habetur. Sicut enim materiam ex ſe ad omnia tendentem naturalis forma in certo quodam corporum ordine

ne coarctat, & comprimit: Sic imaginem, à qua res plurimis inſtructa facultatibus repræſentatur, & ideo pluribus ſignificationibus obnoxiam coërcent adſcripta verba, eòque contrahunt, vt id ſolum oſtendat, quod placet auctori.

Quoniam autem his aliqui refragantur, qui pro materia figuram & epigraphen, pro forma inſitam ſimilitudinem vendunt; hi animaduertant, ſe à nobis nomine potius quam re diſſidere. Quod enim forma, comparatione, reſpectuq. vnius eſt, materia fit cum altero ſuperueniente collatum. Sic ferrum artificiali figura, frenoq. conformandum materia dicitur: quod antè, communem rerum materiam imprimente forma, eſt naturaliter conſtitutum. Sic natura comparatum eſt in animantibus, vt antequam anima inſtruantur, materia ipſorum peculiaribus formis (quod grauiſſimorum Philoſophorũ opinio fert) nobilitata perfectioris animæ receptaculum fiat. Ita porro cùm Impreſiæ figura, accedente verborum nota, certam repræſentandi facultatem adipiſcitur: fit velut ex duobus conflatum corpus, quod nanciſcitur vim vlteriorem ſignificãdæ actionis in altero; cuius gratia excogitata Im-

preſſa eſt. Quæ ſane vltima & abſoluta cenſeri debet Impreſſæ pulchritudo, & forma.

Poteſt vero quiſque non modo ſibi, rebuſq. ſuis, ſed etiam alijs, eorumq. actionibus Inſignia cudere. Feruntur autem in ſingulas perſonas, actioneſque, interdum & plures: & omnia tempora. Futurum omnes: præſens ferè omnes: præteritum pauci admittunt. Et quoniam excogitata ſunt, vt per ſpectatam ſimilitudinem quidpiam mente conceptum præclara inuentione ſignificetur: Imago, quæ pingitur, quanuis nota rei veræ ipſam quoque oculis, animoq. ſubijciat; non tamen ibi animum ſiſtit intuentis: ſed vlterius ad rem deducit, cuius pro inuentoris arbitratu nouam ſignificationem accepit. Exemplo ſit imago Solis, quæ Solem ſuapte natura repræſentat. Verum fingatur Schema, pingaturq. Sol ad exornandum Chriſti funus, additis verbis, *Spectatur cum deficit*. Tunc enimuerò imago nō Solem ipſum, ſed eius propriam facultatem exprimit, qua idem intercepta luce, ſpectandi cupidos mortales ad ſe contemplandum conuertit. Vt ſubinde admoneat, Dei Filium turpi morte damnatum, ac velut

lut obtento diuinitati velo, ab hominibus in eius contemplationem conuerſis ſpectari tum maxime, & admirabiliter cognoſci. Quod poſtremum non explicat Impreſia, ſed ad illud latenter incluſum, quia ſimilitudinem continet, neceſſariò refertur.

Hæc cum ita ſe habeant, omiſſis, quæ prolixis diſputationibus agitantur, duo iam pangenda ſunt: quæ obſeruare oportet, ne peccetur in componendis Inſignibus. Hæc ſunt: ſeligendi corporis, ſiue imaginis leges: deinde præcepta apponendæ epigraphes.

Prima lex aſſumendi corporis hæc eſto. Excipiatur ex natura, & arte factis tantū. Hanc partem nonnulli antiquare conantur: ſed fruſtra, vſu iam & conſenſione inueteratam. Sit præclarum, ſpectatuque dignum: nec ita ignotum, vt etiam cum verborum luce ſit obſcurum. Melius eſt autem vulgatis, quam ignotis adhæreſcere: & in omnibus non quid ſingulis rebus, ſed quid earum naturæ congruat, conſiderare.

Secunda eſt. Ex copioſa rerum naturalium ſupellectili homo & humana corpora reijciuntur. Cauſam ſi quæris, non vnam pro-

promunt, nec tamen in ea peruincunt; cùm potior ſit pro ratione voluntas: in quam paucis exceptis, omnium auctorum, & Academiarum conſenſio conſpirat. Non tamen excludunt humanam actionem, vt alterius rei proprietas explicetur. Sic extenſi brachij cultro iugulata Sus & ſe in morte perutilem, & mortuum auarum hominem commodo eſſe oſtendit. Sed tunc manus, pes, brachium ſolum appingitur: reliqua extrà quodammodo eſſe cenſentur.

Tertia. Multo æquius res hominum hiſtoricæ ſubmouentur. quia quod ſemel aut raro fit, infirmius eſt ad probandum: firmius autem, quod à natura; hoc enim ab omnibus, & ſemper fit. Actiones præterea fictæ, & fabuloſæ, reſq. ipſæ animantium non profectæ à natura, & raro ab vno quopiam factæ. Multo magis cum proprietatibus naturæ pugnantes: vt, equus per aërem vectus.

Quarta. Non prodigialiter iungenda ſunt, quæ natura ſeiunxit: vt, cum ſyluis Delphin, Aper fluctibus appingitur. Neque artefacta quæ prohibet ars: vt, domando equo ligneum frenum. Neque cum artificialibus componenda naturalia, quæ nun-

quam

quam componi potuerunt. vt, Delphinũ cum Anchora, admonens, *Feſtina lentè.* Neque res natura, & arte factæ pro ſymbolis aſſumendæ, quæ illis hominum voluntas inſuit: vt, Anchoræ ſtabilitatem, Palmæ victoriam; ſunt enim Hieroglyphica.

Quinta. Figura totum inſigne non efficiat, vt verba ſuperuacua nihil præter ea ſignificent.

Sexta. Vnam vel plures imagines aſſumere ius eſto: ad vnum vtique pangendum animi ſenſum non obſcurè tendentes. & admonent, vt dextrorſum collocetur, quæ ſuperſcripta verba ſibi vendicat.

Septima. Cum imagines non ſolum pingantur in tabula, ſed etiam deſcribantur in pagina, marmore ſculpantur, ligno metalloue figurentur: quouis exprimantur modo, exuanturque interdum proprijs coloribus, laudandæ ſunt. Germanus enim color corporibus diffuſus, illorum quidem pulchritudinem auget, vim actionum non mutat, quæ ſpectantur in Impreſia. Non tamen ipſa colorum genera pro materia Impreſiæ aſſumenda ſunt. Sic enim vbique figurari non poſſent. Hæc de imaginum, & corporum delectu.

At

At Epigrammatis apponendi præcepta hæc ſunto.

Primum. Non ſolum Latino, Græcoq. ſermone, ſed etiam vulgari, & proprio cuiuſque aſcribi poteſt. Ex poëtis aliijſq. auctoribus eàdem, vel aliena ſignificatione acceptum magis placet, verbiſq. ſcriptorum plane immutatis. vitetur vſurpatum ab altero, & commune, pluribuſque de ſe tribuendum: quantoq. breuius, & acutius, tanto aptius & iucundius, ſi adſint cætera, iudicabitur; integrum tamen verſum non reſpuit.

Secundum. Vt imago: ſic inſcriptio ex ſe, vel ſeparata certum quidpiam non ſignificat, ſed ſimul vtraque coniuncta: vt vnaquæque partem efficiat integræ ſimilitudinis. Ideo quæ perfectum habet verborum ſenſum: item adagia, vniuerſales ſententiæ, & ſimilia damnantur.

Tertium. Inſcriptio non applicat ſimilitudinem, ſed ſolum cum imagine ſignificat. Nam in omni Schemate includente ſimilitudinem duæ ſunt partes. Prima, Protaſis, ſeu Propoſitio: altera, Apodoſis, ſeu Redditio, & applicatio ad aliud eſt. vt: *Sicut Luna fulget Solis luce*, Protaſis eſt: *Sic poſteri maiorum gloria*, eſt Apodoſis.

doſis. Prima ergo ſimilitudinis pars partim figura, partim verbis exprimitur. Secunda menti auctoris relinquitur, euoluiturq. ſi exponenda Impreſſa ſit.

Quartum. Epigraphæ vitio ſunt verba ſuperflua, audacter translata, impropria, æquiuoca, nimis aperta: laudi vero ſunt pauca, & arguta, traductione, annominatione, contrapoſito, alijſq. figuris, quæ pertinent ad ſpeciem orationis ornatæ, excluſis paulo audacioribus tropis.

Quintum. Verba rei figuratæ actionem ſignificent: eidem applicata ſtabilem veritatem euoluant: quod pingitur non attingant. quanquam nil vetat interdum referri verbis, quod pingitur quidem, veruntamen totum pictura non exprimit.

Sextum. Inſcriptio admittit omnes perſonas temporis præſentis, vtriuſque numeri. Secunda tamen minus probatur. Rarius temporis futuri ſecundam perſonam: rariſſime præteriti, quod quidam excludunt: Nec tamen excludendum. Huius exemplum eſt, Serici vermiculus folliculo excluſus, ſuperſcriptis verbis, *Conſtruxi, Deſtruxi:* Siue, vt alius, &. *Feci, & Fregi.* Præterea verborum modos omnes admittit Epigraphe. Optatiuum, & Infinitum

præ ſe illa ferunt: Vrſinus partus cum addito: *Vtinam perpoliatur*. Nauis portum appetens, cum ſuperſcripto: *Aut ingredi, aut perire*. Indicatiuum: *Docet, & Delectat*, Adiectum Horologio fruticibus conſito, Quod inſigne Famianus Strada è noſtra Societate vir ſingulari eruditione, & eloquentia, propoſuit ad explicandam vim oratoriæ facultatis. Imperatiuum: *Ferte citi ferrum*, Idem igni adiecit è ſumma turri accenſo, vt Ignatij Loiolæ vim exornaret, qua homines excitauit ad ſalutem. Subiunctiuum: *Vt latius illuſtret*, quo dicto Fax vitreo globo incluſa eiuſdem Ignatij virtutem religioſis legibus aſtrictam, longiuſq. coruſcantem deſignat.

Eadem Epigraphe modo ſola vſurpat verba: modo ſola nomina: modo nomina cum verbis: modo ſola aduerbia: modo hæc & alia commixta. quæ paucis exemplis probantur, dilucidanturque. *Verſor haud extinguor*: His verbis verſatilis Lucerna, quoquouerſum acta, ſine luminis, oleique iactura, eiuſdem Ignatij conſtantem in aduerſis tolerantiam oſtendit. *Poſt munera belli*: Superſcriptum antiquæ Galeæ, quæ ferreo cuneo calefaciendo, plumbarijs pro foculo eſt, dum ſtanna ferruminant.

nant. quo Ignatij virtus apparet, poſt militiam accendendis mortalibus ferentis cœleſtem ignem. quæ idem Famianus propoſuit. *Lutum colliget:* Appoſitum fluuio extra ripas effuſo: quo Ioannes Rhò noſtræ Societatis concionator egregius eorum ſtatum prænunciat, qui ætatis feruore, immodiciſq. tumentes cupiditatibus liberè per ſeculi vanitates excurrunt. *Ex S. Ambroſ.*

Nihil indiga lucis: Noctua iuuenem egregie adumbrans quem ad ingenij laudem promerendam minimè iuuaret externa diſputationum pompa. *In odorem.* Columbæ alteram ducem ſuperfuſis odoribus ſequentes, Partheniam iuuentutem ſub magnæ Virginis tutela currentem in eius vnguentorum, ideſt virtutum odorem expreſſere. Illud Tarquinius Gallutius noſtræ etiam Societatis, poëticæ atque eloquentiæ laude inſignis: Hoc item è noſtris Leo Sanctius humanioribus, ſacriſq. doctrinis apprime clarus propoſuit.

Nos Cardinali Franciſco Barberino Collegium Romanum inuiſuro Inſigne dedicauimus, foribus Claſſis Rhetoricæ ſuperpoſitum: in qua ad eundem habendus à nobis erat Panegyricus. Fuit autem inſigne, Rorifer ac florifer Hortus cum Epi-

grammate, *Expectat Apes*.

Demum aduertendum eſt, horum ſchematum ſignificatione proprium quidpiam eorum, quibus dicantur, contineri. ideoq. ſeu verbis ſeu figura nomen, cognomen, familia, officium, aliauè eorum conditio reſpicitur, & comprehenditur. Academicorum autem inſignibus, ipſum Academiæ ſybolum, delectumq. ab ipſis cognomentum ſolet inuolui. Hæc pauca de multis: quorum aliud alijs placet. nobis optima ſeligere curæ fuit.

Dithyrambica ſeu Lyrica.
Cap. XXXIII.

DVplicem Dithyrambica ſignificationem habet. Vel enim ſignificat carmen fieri ſolitum in honorem Bacchi, quo pacto Dithyrambica Lyricæ pars eſt: vel quodcunque melicum carmen; qua ratione idem quod Lyrica comprehendit, & ſub Poëſi tanquam ſpecies ſub genere ab *Cap. 1. poe.* Ariſtotele collocatur, perpetua ſaltatione, & harmonia ab alijs poëticæ partibus ſeiuncta. Dithyrambus quidem illi nomen tradere potuit, quia erat carmen Lyricorum celeberrimum. Lyrica vero hæc pars

poëti-

poëticæ dicta eſt, quod ſemper caneretur ad Lyram. Hinc Ode, & Melos: & Lyrici poëtæ Melici nuncupati. Canebantur autem Lyrica antiquiſſimo æuo circa Deorum aras acto in girum choro vnica conuerſione: deinde duplici, læuorſum, ac dextrorſum: tum à ſtante accinebatur. Inde Strophe, Antiſtrophe, Epodos. Itaq. Lyrica antiquiſſima eſt omnium poëſis, cũ antiquiſſimi poëtarum diuinitatem primo laudauerint. Quod ſi ethnicos ſuperſtitio tranſuerſos egit, vt ſuo ab Ioue principium ducerent; Hebræi certè vates multo antiquiores, verum & vnum Deum hymnis, & canticis commendarunt. Verum Lyrica deinde Heroum, & illuſtrium virorum laudes complexa eſt: poſtremo quæcunque vellet, contempta ſaltatione, & harmonia. *Scal li. 1. c. 44.*

Lyricæ Materia. Cap. XXXIV.

IN breue Poëma quæcunque cadere poſſunt, ea Lyricis numeris colligere ius eſt. Quid autem non cadere poſſit? Nec video quomodo aliquis eligendo ineptam materiam errare queat in Lyricis. Eſt enim communis, & generalis, neque *Scal. li. 3. c. 124.*

in tàm arctos redigenda terminos, quos illi circumſcripſit Horatius:

In arte poet.

Muſa dedit fidibus Diuos, pueroſq́ Deorum
Et pugilē victorē, et equū certamine primū,
Et iuuenum curas, & libera vina referre;

Vt Lyrica Deos, & Heroas hymnis extollat: victores in bello, ac certamine epinicijs: iuueniles nugas, & amores odis: conuiuia ſcolijs comprehendat. Nam prȩter hæc, multo plura idem Horatius odis, epodiſq. complexus eſt. Eſt ergò illa veluti præcipua, Lyriciſq. præſertim modis expetita materia; quæ tamen ad cætera omnia libenter deflexit. vt & Lyricorum principes Græci Steſichorus, Simonides, Pindarus ſuo exemplo fidem faciunt.

Dithyrambus. Cap. XXXV.

Dithyrambus in honorem liberi Patris fieri cœptus, diū cum illo manſit; poſtea ad alios & ipſe commigrauit. Nomen ſortitus eſt à Baccho, qui διθύραμβος ab antiquis eſt dictus, vel quod bis naſcens ἐκ δύο θυρῶν ἐξῆλθε, *duabus egreſſus eſt foribus*, nempe vtero Semeles matris, & femore Iouis. Vel quod nutritus in antro διθυρίτῃ: vel quod temulentorum

Robert. in c. I. poet.

torum os patens efficiat loquax, & *δύθυρον* veluti *biualue*, & *bipatens*. Vel à voce, quæ iactari conſueuerat in Bacchi natali die *λῦθι ῥάμμα*, *ſolue ſuturam*. aſſuto enim femori, & naſcituro Baccho ſic Iouem vel Nymphas ferunt inclamaſſe, ideò & *λυθίραμβος* apud Pindarum. *Scal. li. 1. c. 46.*

Carmen vero dithyrambum ſic natum eſt. Liberum Patrem Indiæ victorem coronatus exercitus, & oneratus epulis, ac vino reduxit in Græciam, ludibunda circa currum ſaltatione Mænadum, & Satyrorum. Hi vino, ac furore accenſi laudes triumphanti ſine lege ac numero decantabant. Quod carmen deinde ad ſacra Dionyſia Corinthij primum dicuntur traduxiſſe: vel, vt alijs placet, Thebani; apud quos præſertim Bacchi Orgia celebrabantur. Iam Poëtæ cum in honorem Bacchi poſtea ſcriberent furentium auctorum imitatione, tumidè, & inconſtanter ſcripſere: audaci, & turgido ſtylo, pleno numerorum, translationum, nouarum, & compoſitarum vocum, ampullarum, verborumq. ſeſquipedalium. Quæ verba qui aliàs vſurparet, dithyrambice loqui dicebantur; & *διθυραμβεῖν furere* eſt apud Athenæum. Denique Dithyrambos lym-

phaticis, & furentibus conueniſſe, magnamq. vim habuiſſe ad perturbandos animos & Plato teſtatur, & alij ex ipſo docent. Dithyrambos Pindaricos ab Horatio cõmendatos tempus abſumpſit. Apud Senecam ſecundus Oedipi chorus Dithyrambus eſt.

In Phadro.

Ode. *Cap.* XXXVI.

ODe, quod eſt alterum Lyrici poëmatis genus, latius extenditur, Lyricis omnibus poëmatis communis, quæ à canendo nomen acceperit. Idq. teſtatur Horatij codex, in quo lyrica omnia vocantur Odæ: εἴδη Pindaro, vt ſicut Ode Latinis: ita εἶδος Græcis, *forma* ſit recepta à pluribus odarum generibus. Vel εἴδη, vnde diminutiuum Idyllion, quia poëmata ſint rerũ quaſi ſpecies quædam. nam cum poëſis euidens ſit imitatio rerũ, ſpecies rei elucet ex poëmate, quam quiſque imitando expreſſit. Quod ſi Odæ Lyricæ, quæ ferè carent fabula, & figmentis, ſunt nihilominus εἴδη, *& ſpecies rerum*; poëtica imitatio, atque adeo poëſis, ſine fabula conſtare poteſt.

Scal. li. 1. c. 44.

Lib. 1. probatum.

Cæterum Pindarus odas ſuas magna liber-

libertate, & inconſtantia, à qua ſe abſtinuit Horatius, euoluit. Quæ non modo ſpectatur in metro, vt quæcunque verſuum genera ad arbitrium permutet: ſed etiam quod nullis carminis legibus aſtrictus ad voluntatem ſuam verſus condit. Sic tamen, vt quem ſibi prima ſtrophe, antiſtrophe, & epodo ſtatuit ordinem, in reliquis ad finem vſque cuſtodiat. Idq. alij ex Græcis in vſu habuere.

In quo odæ Pindaricæ diſcrepant à Dithyrambo qui totus certa numerorum, & carminum lege ſoluebatur. Verum illi pluſquam poëticæ impunitati, quia tradita pridem exempli lege, tantumq. adſcitis Horatianis metris ſapientiſſimè Maffæus Card. Barberinus, nunc Vrbanus Pont. Max. occurrit; ætati noſtræ maximam quoque fœlicitatem iure gratulamur. Quandoquidem inuſitatum, & glorioſum fuit, ad morum correctionem præluſiſſe emendatione carminum: & exemplo confeciſſe, vt omnes Romano culmine altiorem fore Principis animum cognoſcerent, qui veteris litteraturæ Principes inacceſſo ante faſtigio, & non imitabili, (vt aiebant de Pindaro) imperij poteſtate deiecerit.

Qua-

Quædam Odarum genera. Cap. XXXVII.

HYmnus primo occurrit, qui eſt Dei laus. Sicut autem antiqui ſuos Deos vario hymnorum genere proſequebantur, vt cuiuſq. officia, & collata hominibus, vt falsò putabant, munera commendarent: ità nos vni Trinoq. Deo, Chriſto Domino Seruatori, Virgini Matri, alijſq. Cœlitibus perſanctè canimus, ſupplicamus, imploramus opem, pœnas criminum deprecamur. De modo ſcribendi paulò poſt.

Pæanes cantilenæ, & ipſi in Deorum honorem erant, quo pacto non differunt ab hymnis. præſſius tamen Pæan hymnus erat in Apollinis laudem, ſiue ad amolienda mala, præſertim peſtem: ſiue iam parta victoria. Nam ante bellum Marti, Apollini poſt bellum pæanas canebant. in his frequens illa repetitio, & acclamatio *ἰὴ παιάν. Io Paan*: cui ſimilis apud Romanos in laudem triumphantiũ, *Io triumphe*, quod aclamationis, ſeu cantilenæ genus *Lib. 3. var. lect. c. 11.* καλλίνικον dictum teſtatur Muretus. Nunc eadem ratione dicti Deo ob reportatam ab hoſte victoriam Pæanes dicerentur.

Epi-

Epinicium vt nomen ſonat, victori ob reportatam palmam in certamine canebatur. Differt à Pæane, qui non in belli victoria, nec Dijs dicebatur, Pæan tamen etiam viris virtute præſtantibus datus eſt. Qui ergo in Pythijs, Olympicis, alijſq. certaminibus viciſſet, præter coronam, durabiliorem referebat Epinicij laudem. Totus quidem Pindarus in Epinicijs eſt, cum huiuſmodi victores laudauit. Apud Horatium ode in Druſi laudem, Epinicium eſt: quem commendat ob Germanicam victoriam. *Ode 4. lib. 4.*

Scolium carmen erat à conuiuis recitari ſolitum. Nec modus canendi ſimplex: nam aliquando plures ſimul: aliquando ſinguli ex ordine, vel vt cuique libitum fuiſſet. Canebatur de laudibus fortium, & illuſtrium virorum: alijſq. ad bene, beateq. viuendum excitantibus. Scolium dixerim Odam Horatij. *Cic. 1. Tuſc. Val. lib. 2. c. 1.* *Lib. od. 27*

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero.

Tanquam poculum ſodalibus combibentibus propinaret, aut exhauriret acceptum. Hoc genus Odæ hodie in vſu non eſt; tamen quia interdum ad canendum in lautioribus conuiuijs carmina ſcribuntur, Scolia dici poſſunt.

Epi-

Epipompeuticon oda erat in pompa. Pompa autem duplex in triumphis: in ludis. In triumphis currum victoris canentium ludionũ odæ, ſaltationeſq. præcedant. In ludis vero Circenſibus Deorum ſimulacra ferebantur in circum, concinentiũ & ſaltantium præeunte choro. Sed in ludis ſecularibus peculiare carmen pueri, puellæq; Apollini, & Dianæ decantabant. Cuiuſmodi Horatianum Epipompeuticum eſt. A nobis hodie in ſtatis ſupplicationibus, cum Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum circumfertur: vel cum Sanctorum exponuntur, aureiſq. ferculis vehuntur Imagines: Siue cum ſolemni equitatu Principes imperia, vel Vrbes ineunt, panguntur Epipompeutica.

App. in lybico.

Dionyſ. l. 7. antiq.

Onuphr. de lud. ſecul.

Epodi odæ ſunt, in quibus Lyrico verſui longiori, breuiore ſequente accinitur. hic enim verſus ἐπῳδός, vel ἐπῳδικὸς dicitur. Hæc veterum Grammaticorum ſententia eſt: & oſtendit Flacci liber Epodon; quamuis recentiorum alij dubitent, alij negent. Scaliger enim tanquam abſurdum infert elegiam fore Epodon (quod quidam vltro dabunt) propter breuiorem verſum pentametrum. ſed hæc Epodos eſſe non poteſt, quia non eſt Lyricum carmen

Lambin. in Hor. lib. epo.

Scal. l. cit.

carmen. negato enim genere, ſpecies negetur neceſſe eſt. Ode autem in Canidiam, quamuis non ſit Epodos, potuit tamen in Horatij libro Epodon collocari, propter ſenarium iambum, quem habent ſuperiores: Præter hæc, genera omnia, quæ Epicis poëmatis attribuimus, reperiuntur in Lyricis. Sic ode erit Encomiaſtica, in qua laudamus: Parænetica, in qua adhortamur: Proſeutica, in qua precamur: Euchariſtica, in qua gratias agimus: Propemptica, in qua dimittimus: de quibus paulò poſt.

Character, & forma dictionis Lyricæ. Cap. XXXVIII.

VAria eſt forma Lyricæ. nam alias libera & audax dictionem translatam, & tropis immodicam vſurpat; alias lenior, liquidiorq. molleſcit; ac veluti melle dulceſcens cum rebus verborum quoque ſuauitatem aucupatur. Quod Anacreon præſertim eſt aſſequutus: & qui in amatorijs amari pulchritudinem ſtyli voluerunt. Magis tamen placuit Melicis grande, ſplendidum, magnificum, figuratum, grauibus, & compoſitis vocibus numeroſum loquen-

loquendi genus: ità vt tumor carminis aliquando deceat: exilitas, & ieiunitas orationis dedeceat ſemper. Ariſtoteles: *Compoſita dictio Dithyrambicis eſt perutilis; inflati namque iſti ſunt.* Ijdem ſententijs frequentes, præceptiſq. viuendi. Sic *nouem Lyricorum longe Pindarus eſt Princeps* (ait Quintilianus) *ſpiritus magnificentia, ſententijs, figuris, beatiſſima rerum verborumq; copia, & veluti quodam eloquentiæ flumine; propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. Latinorum vero Lyricorum*, vt idem ait, *Horatius fere ſolus legi dignus. Nam & inſurgit aliquando, & plenus eſt iucunditatis, & gratiæ, & varijs figuris, & verbis fœliciſſimè audax.* Hæc fermè qualitas Lyricæ dictionis habet. At in quantitate breuitas laudatur, quæ ſeculi huius aures præſertim permulcet. Et hoc præceptum in alijs quoque multis, vt ait Scaliger, obſeruandum eſt.

Lib. 2. Rh. c. 3.

Lib. 10. c. 1.

Ibid.

Lib. 3 poe. c. 124.

Melicæ ſcribendi formula.

VT Epicorum poëmatum argumenta ad exempla poëtarum propoſui; ità nunc odarum formulas breuibus periochis con-

contentas, & ex Horatij Odis præſertim deſumptas adducam. quarum pleræque alijs etiam pangendis materiam ſubminiſtrare poſſunt, Elegijs, Epigrammatis, Poëmatijs, alijſq. etiam numero ſolutis ſcriptionibus.

Hymnus. Cap. XXXIX.

HYmnus vt dixi, eſt Dei, & Cœlitum laudatio. Modò ſolam laudem, modò petitionem, eamq. frequentius comprehendit.

Ad Dei laudem, primò memorabuntur quæ ſecum ipſe Deus egit ab æui æternitate: & in eiuſdem eſſentiæ vnitate, admirabilis perſonarum adorabitur Trinitas. Quæ ſi rudibus nobis inexplicabilia ſunt, referantur quæ poſt initia temporum in rebus procreatis egit, tum quæ ad rerum naturam conſtituendam, tum quæ ſupra naturæ leges ad ſalutem generis humani. Vbi ſe offeret hominum charitas, prouidentia, ſapientia, poteſtas, miſericordia, & cætera, quæ Deo attribuuntur, ad quæ per ea, quæ facta ſunt, tanquam per gradus aſcendimus. Secundo: exponitur cultus, ac religio, qua Deus colitur ab hominibus:

nibus: templa erecta, & aræ, ſacrificia, honores inſtituti ad declarandam Dei Maieſtatem, præſtandum illi obſequium. Tertio: vocandi ad hanc religionem mortales, increpandi, qui non meritam illi laudem, & gloriam, ſed mutis lapidibus perſoluũt.

Hymnus cum petitione ea primum habet, quæ Dei excellentiam declarant. deinde commemorationem beneficiorũ, quæ quotidie hominibus impertitur. Tertio, piam, & humilem poſtulationem, quæ modo ſimplex, modo adiunctas obſecrationes, & digreſſiones habet; vt oſtendatur, alios à Deo iiſdem fuiſſe beneficijs donatos, qui eadem poſtularint. ſimiles ad ſuos Deos odas habet Hor.lib.1. od.10.21.35.lib 2.19.lib.3.18.

Finitimus huius eſt quo quis initio inuocat Dei auxilium, vt ſibi adſit gerendis in rebus; commemorat enim ad impetrandum, ſiue in ſe ſe, ſiue in alios collata beneficia, inſigni aliquo fuſius expoſito. Non diſſimilis. Hor.lib.3. od.4. & od.12. Pind.in Olym.od.14.

In Euchariſtico poſt commemorationem beneficiorum gratiæ referuntur: deinde ad eaſdem referendas inuitantur cætera: ſua omnia offeruntur largitori benefi-

neficentiſſimo Pindari in Nem. ode 7. ſimile artificium eſt.

Porto eadem ratio ſeruanda eſt ſi in Chriſtum Dominum in B. Virginem in alios cœlites ſcribatur Hymnus. Si enim in laude ſiſtimus: In Chriſto Domino prædicanda eſt ineffabilis, diuinæ humanæq. naturæ coniunctio: mortalium charitas: admiranda, quæ egit: labores, quos pertulit: ſupplicia, & mors: mortis triumphus, ac cætera ad ſalutem noſtram vel facta, vel inſtituta: vel additur petitio, Inuocatio, Gratiarum actio.

In B. Virgine admiramur excelſam Virginis, matriſq. dignitatem: meritorum, & virtutum cumulum non enarrabilem: adeptos honores, & cætera ipſius propria. Sic Beatis cœli Mentibus, ſanctiſq. viris ſua tribuenda ſunt.

Ode Laudatrix. Cap. X L.

PRimo, Illuſtri aliqua ſimilitudine, vel comparatione effertur is quem laudamus; atque ea in rerum geſtarum narrationem deducat, vt honores, bella, victoriæ, alia cum virtute acta, vel virtutis præmia referantur. Secundo: Breuis amplificatio,

grauibus illuminata ſententijs cum illuſtriũ virorum, & heroum collatione, vt creſcat laus. Tertio: In aliquid ſimile fit digreſſio ab alijs geſtum, qui vel nomine, vel amicitia, vel conſanguinitate conſentiant cum eo, qui laudatur. Hor.lib.4. od. 4. de Druſi laudibus.

Alio modo eiuſdem Druſi laudes reuocat ad Auguſtum, quod imitari poterit, qui bene geſtam ab aliquo Rempublicam ad alium imperantem refert.

Primum caput ſit, Nullis honoribus haberi poſſe gratiam Principi, propter inſigne facinus alterius. Secundum: Rei geſtæ breuis expoſitio. Tertium: Comparatione aliorum, alioue capite amplificatio. Quartum: reuolui ad laudes Principis. conſtare enim, quæ eius auſpicijs fœlicitèr geruntur, laudari ab omnibus, laudatum iri à poſteris; eique perpetuum nomen, cultum venerationem acceſſuram. Lib.4.od.14.

Quoniam vero in hoc exornationis genere verſantur odæ Pindari, earum quorum artificium breuiter attingam. Ad eius imitationem ſcriptor, vel per Apoſtrophem, Odam inchoabit alloquendo Deũ vel alium quempiam è Diuorum, Diuarumq. numero, cuius beneficio ipſe teſtis

fuerit

fuerit alienæ virtutis: eidem gratias aget: hymnum offeret: rogabit, vt eum accipiat, reſpiciat ſe ſe, & victorem ad aras dona & trophæa ferentem. Per eandem Apoſtropham, quaſi famulo imperabit. Iunge mihi veloces currus, vt eam in regionem longinquam; & viſam præclarum facinus; nempe hoſtes victos, captas vrbes, ſapientem virum laurea donatum. Aut locum alloquetur vbi res acta eſt. Aut viri Patriam, vt accipiat coronam, quam illi coronatus impertitur ciuis, eundemq. reducem viſentem templa, &c. Eandemq: Patriam laudibus exornando compellabit: aut dubitando quidnam ipſa pulcherrimũ, & præſtantiſſimum habeat, vt bonis eius enumeratis, ſtatuat nihil eſſe ſublimius, quam Ciuis laudati virtutem, & gloriam. Aut alijs imperabit, vt ſe canentem audiant, vt ipſi canant, & merita victoris extollant, monimenta virtutis erigant. Aut ſine Apoſtrophe per dubitationem inchoabit. Quis fecit præclarum facinus? recentem adeptus eſt coronam? Talis fuit nobilitate, fama inſignis. vel per grauem aliquam ſententiam quæ in narrationem deducat: Vel per huiuſmodi comparationem; Vt aliquando vſui eſt hominibus ven-

tus, aliquandò pluuia: ſic mutatis vicibus ſua ſunt labori tempora, ſunt laudi. vel per allegoriam: Muſarum carmen in florente virorum conuiuio ſecundum poculum eſt. hoc digniſſimo propinabo. vel per narrationem ſeu facti, quod laudamus: ſeu rei alterius ad illud perducentis. Hæc de initio.

Sequitur deinde facti breuis narratio, ſi quidem facinus laudetur: Hominis deſcriptio, ætate, opibus, gratia virtutum omni genere florentis, cui gratiam addat & carmen; Ideòq. inuocanti, Deum plurima dediſſe. addentur crebræ digreſſiones, quæ vel odam terminent: vel ad rem propoſitam redeant: ſententiæ graues interpoſitæ amplificationi, exemplis, collationibus. Interponentur Apoſtrophæ ad Charites, Muſas, Diuos, Diuaſq. Oſtendetur communis populorum beneuolentia erga laudatum virum: proprium ipſius ſcribentis officium, & ſtudium laudandi. Præter verſus alia offerentur munera: ſoſpes, & diuturna vitæ tranquillitas eidem orando impetrabitur. Ex his copioſam quiſque laudationum ſegetem in promptu habebit.

Ode

Digitized by Google

Ode Vituperatrix. Cap. XLI.

PRimum caput eſt:Scriptorem diffidere ab eo, quem criminatur, voluntate, inſtitutione natura; vbi comparationi eſt locus. Secundum: referre quæ ille tumidè, arrogantèr, improbè fecerit cum aliorum damno, indignatione, ſtomacho: quid propter vitia pertulerit: Tertium: Inferre, illo abſtinendum, eius tanquam anguis fugiendum aſpectum. Hor. od. 4. Epod.

Imprecationes ad eaſdem, de quibus ſupra diximus, Diras reuocantur.

Ode Conſolatrix. Cap. XLII.

TRibus contexitur. Primo: Oſtendendus dolor, quo magnopere angimur propter mortem alterius. Nempe mœſtos nos, & attonitos nullum facere in fletu modum: exclamabimus: noſmet interrogabimus, quomodo dicendum, ſilendumque ſit. Hoc dolor: illud, officium: vtrunque defuncti virtus perſuadet. Ex quo alterum caput emanat. Secundo enim affertur cauſa doloris: nimirum iactura, quam fecimus quæ tulimus incom-

moda propter interitum talis viri, eiuſq. virtutes morte ſublatas. qui locus exigit mortui laudes, rerumq. ab illo geſtarum commemorationem. Tertio vertitur oratio. quamuis enim iuſtiſſima ſit cauſa dolendi, dolorem tamen conſtantibus viris eſſe leniendum: calamitates, & mortem eſſe communem: fruſtra deplorari, quod arte nulla vitandum, ſubeundum ſit omnibus. Hor. lib. 1. od. 23.

Alio modo, tribus etiam capitibus conſtabit. Primo: arguitur aliquis nimij, & non intermiſſi doloris, cùm perpetuum ſit nihil: malis bona, bonis mala identidem ſuccedant; idq. comparationibus euincitur. Secundo: eorum exempla proferuntur, qui à fœmineis querelis, & lamentationibus fortiter temperarunt. Tertio: ea proponuntur, quæ potius agitari pacato, ſedatoq. animo, ſermonibuſq. hilarioribus vſurpari debeant. Horat. lib. 2. od. 9.

Scal. lib. 3. poe. c. 122. Cum ſcribitur in anniuerſaria mortuorum memoria, abſtinendum à luctu. Nemo enim iam annum, bienniumq. defunctum deflet. cætera capita vſui erunt. Quod ſi propter abſentes conſanguineos, superuenientes morbos, & infortunia adhibetur

con-

conſolatio . Primo leniri poteſt dolor oſtendendo præſentia mala citò peritura: nihil apud nos eſſe ſtabile, ac diuturnum: breui fore conuerſionem fortunæ; redituros amicos, gaudia, valetudinem, atque hæc bona præteritis malis fore longiora. vbi locus grauibus ſententijs. Secundo: dolore non ipſum ſolum torqueri, quo cũ loquimur, ſed nos etiam propter conſanguinitatem, & amicitiam. Nolit igitur ille immodico dolore augere dolorem aliorum. Nos ita natura factos, & inſtitutos, vt nec integri, nec ſuperſtites amico futuri ſimus. vnà victuros, vnà perituros. Quod ex ijs, quæ aliàs acciderunt comprobari poteſt. Cur igitur duo exanimandi dolore vno ſint? Hor.lib.3.od.7.

Ode Gratulatrix . *Cap. XLIII.*

TRibus abſoluetur, ſi Gratulatio ſit de victoria. Primo: Non poſſe pares gratias ei referri, qui debellatis hoſtibus, timore populos, direptione Vrbes, vaſtitate Prouincias liberarit; multo minus dignam gratulationem haberi. Secundo: Huius rei promendæ cauſæ: acta nimirum fœliciter prælia, tradita exempla impera-

toriæ prudentiæ, fortitudinis, moderationis. quæ comparationibus exemplis, exclamationibus augentur. Tertio: Referenda nominis exiſtimatio, Gloriæ immortalitas, quam ſit adeptus, populorum obligatio, poëtæ præſertim, qui nunquam à laude, & gratulatione, offerendis pro eius incolumitate votis, & precibus ceſſabit. Hor. lib. 4. od. 4. 11. 14. vbi gratulationi admixta laus eſt.

Si de reditu ſit gratulatio, quatuor cõplectitur. Primum: Per admirationem, exclamationemq. ſingularis animi lætitia oſtenditur propter inopinatum amici reditum. Secundum: Commemoranda, quæ inter vtrunque abſentem intereeſſerunt beneuolentiæ, & inuiolatæ amicitiæ argumenta, præſertim ſi alterius cauſa diſcrimen adierit. Tertio: Gratias ſe, ac munera Deo, & Cœlitibus pro reditus beneficio relaturum, idemq. à redeunte faciendum. Quartum: Idem ad otium, & quietem cohortandus, inuitandus in domum, & villæ amœnitatem, vbi relaxare animum, & ſe ſe à diuturno viarum labore queat reficere. Hor. lib. 2. od. 7.

Aliter duobus conſtat. Primo: Dicet Deo, ac Superis gratias, & dona referẽda,

quod

quod amicum beneficio affectum, incolumem reſtituerint. Secundo: Diem inter fauſtos reponendum: nullum iuſtæ, honeſtæq. lætitiæ omittendum modum: genio menſiſq. vocatis amicis, & conſanguineis indulgendum. Id. lib. 1. od. 36. lib. 3. od. 14.

At de honore, & inito magiſtratu Gratulatio, Primo: Inuſitatam animi lætitiam præfert, & accipientem ſic laudat, vt præ meritis ſerò videatur accepiſſe. Secundo: admonet, vt non minus largitori Deo ſit gratus, quàm Principi: & opinionem de ſua virtute conceptam egregiè factis ſuperet; quod ex rebus antea geſtis augurabitur. vbi moratæ orationi, ac ſententiæ locus eſt. Hæc præcepta ex ſuperioribus eliciuntur.

De Dimiſſoria. *Cap. XLIV*.

PRimo. Nauem alloquitur, cymbam, currum, equum, quo diſcedens vehitur, petitq. vt reddat incolumem finibus, ad quos fertur; mercedem pro ſeruata fide promittit. Sic iumento pollicebitur ceſſationem à labore, paſcua roſida, herbida, famam illi non imparem, quam olim

equi

equi ſcriptorum laudibus nobilitati reportarunt. alia aliȷs promittet. Vel Deo nuncupabit pro diſcedéte votum, eum ac Superos rogando, vt amicum nocturnis, diurniſq. viarum incommodis obnoxium ſeruent. Secundo: Per digreſſionem conqueritur, aut obiurgat. Homines enim, perinde ac difficilis eſſet vitæ exitus, plurima excogitarunt, quibus celerius conficiuntur. ne quieſcant, deſerunt patrias terras, certa ſubeunt pericula: quæ terra mariq. non euitanda enumerat: vel in alia digreditur, quæ hominibus calamitoſa, neceſſitatem itineris faciendi attulerunt, vt bella, exilia. Hor. lib. 1. od. 3. & 35.

Aliter admonet Primo, Amicum de longo, periculoſoq. itinere, enumeratis breuiter locis, & vrbibus, ad quas eſt venturus. Secundo, cauſam reddit, cur qui propter veterem amicitiam à diſcedente diuelli non deberet, euntem tamen non ſequatur. Quæ pars officio plena ſic eſt pertractanda, vt nec contemnatur veritas, & amico diſcedenti, perindè atque alterum expeteret ſocium itineris & laboris, ſatisfiat. Tertio. Affirmabit nullo regionum interuallo peregrinantis recordationem ſuo ex animo abituram. ſe fore præſentem

tem incommodis, & periculis omnibus, eadem laturum mala, eadem morte periturum. Lib.ep.od.1.

Quæ vero ad abſentem de reditu ode ſcribitur, tria continet. Primo: Amicam, & ſuauem reprehenſionem cum hominis laude coniunctam. Qui enim ſuis maturum reditum pollicitus fuerat, plus æquo apud exteros commoratur. Secundo: Recenſet omnium deſideria, & vota de abſentis reditu. Tertio: Commemorat (quod eſt veluti cauſa præcedentis) bona, quæ eius vel aufert abſentia, vel affert præſentia. Nolit igitur tandiù omnium vtilitati obeſſe, fruſtrari deſideria, & preces. Horat. lib.4.od.5.

Ode Suaſoria. *Cap. XLV.*

HÆc tribus concluditur. Primo: Res proponitur non proprijs tantum verbis, ſed etiam translatis, & Allegoriam continentibus, quod vitium eſſet oratori. Secundo: Expendenda ſunt rationum pondera, vtilitates, fructus. potiſſima argumenta erunt ſimilitudines, comparationes, exempla cum ab hiſtorijs, tum è fabulis petita. Sed Chriſtiano homini fabuloſa

parcè

parcè adhibenda, petenda potius è ſacris litteris, & rerum noſtrarum annalibus: Interponuntur breues graueſq. ſententiæ, prolixæ probationes euitantur. Tertio: Moralis aliqua præceptio, ſeu breuis allegoria, ſeu futuri euentus præſagitio finem dabit. Hor. lib. 2. od. 10.

Aliter abſque rei, quam ſuademus, propoſitione, ſtatim eius vtilitates exponuntur. Ex quo infertur faciendam eſſe. Lib. 2. od. 23.

Aliter veluti imperando ſuadetur. & primo breuiter, grauiterq. res proponitur. tùm commoda, ſi fiat: incommoda, niſi fiat, exponuntur. Addito breui Epiſodio, & grauibus, crebriſq. ſentẽtijs. Lib. 3. od. 2.

Aliter, laudatur primo is, cui rem perſuademus. tum oſtenditur, vel deſiderio nos teneri eius rei acquirendæ, vel eiuſdem acquiſitæ gaudio frui, expoſitis laudibus, & bonis illius; poſtremo amicus ad eiuſdem adeptionem vocandus eſt. Lib. 2. od 6.

Affinis eſt ode, quæ laudato item amico, expoſita varietate rerum, ac temporum ſimplicibus verbis ſuadet, vt vacet à laboribus, curis, moleſtijs. Lib. 1. od. 9. lib. 3. od. 17.

Diſſua-

Diſſuaſio, quæ perſuaſioni opponitur, tribus conficitur. Primo: Laudanda ſunt amici cœpta, & conſilia: memoranda laus, quam ea de cauſa conſequutus eſt. Secundo: Inſinuandum quod deterreat, & reuocet ab incœpto, incerti euentus, pericula, detrimenta. Tertio: Apta digreſſione ode exornanda, & terminanda eſt. Hor.lib.2. od. 1.

Aliter, Ode inchoatur imperando, vt aliquid ne fiat: adductis rationibus, quibus æquum ſit vel id non aggredi, vel ab incœpto deſiſtere. Secundo: Proponitur aliud amplectendum, oſtenditur diuerſæ actionis opportunitas, conuenientior amici propenſioni, & ingenio. Tertio: Ipſius ſcriptoris exemplum accedit, aliena tractantis, quorum aliqua breuitèr afferri poſſunt. Hor.lib.2.od. 11.& 12.

Rurſus increpando, obiurgandoq initio reprehenditur facti turpitudo, & agentis, niſi deſiſtat, ignominia. Secundo: Idem ſtimulatur, ac laceſſitur, vt rem ſi poteſt proſequatur. fore enim, vt illi reſiſtāt acerrimè fortiores aduerſarij, qui eius omnes conatus infringant: videat ſtricta iam tela, & niſi hæc adſint, diſtrictum Dei fulmen. Ex lib.Epod.od.6.

Ode,

Ode Parænetica. *Cap.XLVI.*

HÆc adhortatur, moraleſq. præceptiones continet. & primo ſcriptori beneuolentiam conciliat indicata eiuſdem virtute: tum ſententijs, exemplis, argumentationibus, moralibuſq. præceptionibus conatur ad virtutem excitare. In his tradendis ſectatur ordinem non exquiſitiſſimum, ſed ſuperiora cum ſequentibus probe nectentem. Lib. 3. od. 1. Horat.

Aliter, Res præcipienda Primo proponitur. Deinde eius vtilitas, iucunditas, honeſtas, merces, honores, quos ſecum adducit. euoluuntur. vel addito in fine breui, aut etiam prolixiore Epiſodio. Id lib. 3. od. 2. & 3.

Aliter, Inchoatur Ode ab Hiſtoria, vel fabula; Ex qua elicitur morale præceptum. Quod ſecundo allatis exemplis, ſententijs comparationibus fuſius explicatur, probaturq. In his, alijſq. meminiſſe debet poëta breuium deſcriptionum, figurarum, ſplendidæ dictionis, vt lectorem delectet, & virtutem inſinuet. Idem lib. 3. od. 16.

Aliter initio inuehitur in aliquod vitium; tum

tum illi contrarium ſubijcit exemplum prolixè expoſitum; vbi & alios loquentes inducit præter Poëtam. Idem lib.3. od. 5.

Ode Poſtulatrix. *Cap*. *XLVII*.

QVa petimus beneficium ab amico, Aut nudam rei propoſitionem Primo, continet; aut obſecratione munitam. vbi laus amici aſcribitur, quæ beneuolentiam conciliat, & mouet ad tribuendum. Secundo: Rei poſtulatæ paruitatem oſtendit. Non enim petuntur æſtuoſæ armenta Calabriæ, non aurum, aut ebur indicum, ſed quidpiam tenue, expeditum, & facile ad donandum. Tertio: Opportunitatem temporis adducit. Nam Vere flores, Autumno poma petenti negare nemo iure poſſit. Sic tempus ad cœnandum, & curis ſoluendum animum inuitat. Quarto: Spondet memoriam beneficij perpetuam, & ſtabilem fore. qui locus ſimili exemplo, fabula, congrua digreſſione exornatur. Quæ capita inuerti: aliquod omitti: alia adiungi poſſunt, vt ex varijs eiuſdem Odis deprehendes. Hæc ſelecta è plurimis; quæ tutè animaduertes.

Gene-

Genera Carminum.
Cap. LXVIII.

HÆc poſtrema coronis operi ſit. Verſus ergo, & Carmen modò idem, modò diuerſa ſunt. Nam & totum poëma, vt Elegia, & Ode, Carmen eſt: Verſus non item. Latiore autem ſignificatione verſus eſt ſcripturæ tractus ſcripta verba complectens inſtar ſulci, in quo terra vertitur. Hic porrò verborum ductus modo liber, & ſine metro: modo vinctus eſt numeris. vterque verſus. At poſtremus quoniam proprius poëtarum, & ornatior pulchriorq. peculiare ſibi verſus nomen fecit: Græcè μέτρον, quaſi menſura; metimur enim pedibus, & formamus verſum, vt regula lineam. indeque partes verſus pedes dicti. nam ſicut ſpatia pedibus dimetimur: ſic & verſus. Pes igitur eſt ſyllabarum certo numero diſpoſitio: verſus vero pedum certo item numero diſpoſitio, & coniunctio. Pedes inter ſe diſtinguuntur ſyllabis varia quantitate copulatis: eorumq. alij diſſyllabi, alij triſyllabi, & compoſiti. Diſſyllabi quatuor: Spondæus, qui conſtat ſyllabis lõgis, vt, *Muros*: Pyrrhi-

Pyrrhichius duabus breuibus, vt, *Celer*: Trocheus, ſiue Choreus longa & breui, vt, *Veſte*: Iambus breui, & longa, vt, *Manent*. Triſyllabi octo: Tribrachus ex tribus breuibus, vt, *Furia*: Moloſſus ex tribus longis. vt, *Cœnantes*: Dactylus ex longa, & duabus breuibus, vt, *Scribimus*: Bachius prima breui, duabus longis, vt, *adorant*: Anapæſtus ex duabus breuibus, & longa, vt, *relegant*: Antibachius ex duabus longis, & vltima breui, vt, *percurrit*: Amphimacrus, ſeu Creticus media breui inter duas longas, vt, *audiunt*: Amphimacrus media longa inter duas breues, vt, *Coruſcat*. Alij ex his componuntur: Dichoreus ex duobus Choreis, vt, *æmulatur*: Choriambus ex Choreo & Iambo, vt, *hoſpitijs*. Antiſpaſtus huic contrarius ex Iambo, & Choreo, vt, *colorauit*: Diſpondeus ex duobus ſpondeis, vt, *effulgentes*: Proceleuſmaticus ex duobus Pyrrichijs, vt, *celeribus*: Pœon ex quatuor ſyllabis, quarum vna ſit longa, cæteræ breues; ſed quæ prima ſede producitur, primum Pœonem: quæ ſecunda, tertia, aut quarta, ſecundum, tertium, quartum efficit: vt, *diſſimilis*, *cacumina*, *celeramus*, *celeritas*. Epitritus contrarius Peoni ex quatuor ſyllabis,

labis, vna breui, tribus longis: primo loco, *adorares*: 2. *affluentes*: 3. *cenſorias*: 4. *irridemus*. Ionicus à maiori ex Spondeo, & Pyrrichio, vt, *interprete*: Ionicus à minori ex Pyrrichio, & Spondeo, vt *docuerunt*. Plura alij, qui etiam exponent, cur hi pedes varia nomina ſortiti fuerint. plus autem nimio creſcunt, ſi pedum ſimplicium omnes inter ſe coniunctiones fiant.

Grãmatici & Scalig. lib. 2. poet. c. 2. 3. 4.

Verſibus nomen imponunt, Auctor, vt, *Sapphicus*: materia, vt, *heroicus*: forma, à frequentiori pede impreſſa, vt, *Dactylicus*, *Iambicus*: menſura, vt, *dimeter*, *trimeter*: ſyllabarum numerus, vt, *hendecaſyllabus*: Dicitur etiam ab integritate, *Acatalecticus* perfectus, & abſolutus, vbi nihil deeſt: à diminutione *Catalecticus*, mutilus, vbi vna deeſt ſyllaba: *Brachycatalecticus* vbi plures deſiderantur ſyllabæ: *Hypercatalecticus*, in quo vna vel plures redundant ſyllabæ. Pentemimeris eſt, cum poſt duos pedes ſequitur ſyllaba terminans partem orationis: Heptemimeris, cũ poſt tres pedes. In metiendis autem verſibus vna menſura pes vnus eſt, præterquam in Iambicis, Trochaicis, Anapæſticis, qui per duplices pedes computantur. ideo dimeter

ter

ter Iambus binæ dimenſionis ob quatuor pedes quaternarius dicitur: trimeter ſenarius: tetrameter octonarius.

Iam Verſus in ſua genera digeſtos, & eos præſertim afferam, quos latini auctoris vſurparunt, hodieque ſcribentibus vſui eſſe poſſunt: additis quibuſdam præter vſitatos, paulo ſuauioribus: nec non ijs, qui ex vario pedum genere Compoſiti dicuntur, in Simplicium ordinem adſcriptis. creſcunt autem ſyllabatim.

Verſus Dactylici.

VNius metri affertur verſus; non tamen vnius pedis. Eiuſmodi apud Virgilium eſt monometer dactylicus hypercatalecticus:

Ora fame. Æn. 3.

Adonius dimeter acatalecticus conſtat dactylo, & ſpondeo. Horatius:

Terruit vrbem. Li. 2. od. 2.

Archilochius dimeter hypercatalecticus duos admittit dactylos, & ſyllabam. Virgilius: 2. Æn.

Numinà magna Deum. Horatius: Li. 4. od. 7.

Flumina prætereunt.

Pherecratius trimeter tribus conſtat pe-

 dibus

dibus ſpondeo, dactylo, & ſpondeo: aut in prima ſede anapæſto.

Li.2.od 5. Horatius: *Sperat neſcius auræ.*

Lib.4 me. 2. Boetius: *Dominis preſſus iniquis.*

Alcmanius tribus item conficitur pedibus, duobus dactylis, & ſpondeo, vt:

Africus æquora turbat.

Ariſtophanius dactylum recipit, & duos choreos.

Li.1.od.8. Horatius: *Lydia dic per omnes.*

Glyconicus ſpondeum deſiderat, vel interdum trocheum, & duos dactylos: ſiue, vt alijs placet, choriambum, & pyrrhichium. Horatius:

Li 1.od.3. *Sic ſe diua potens Cypri.*

Simonidius tres dactylos. vt:

Commouet Africus æquora.

Alcmanius trimeter hypercatalecticus tres recipit pedes heroici verſus, & ſyllabam. Virgilius:

Aen. li.7. *Exitijs poſitura modum.* Boetius.

Lib.2.me. 6. *Omne hominum genus in terris.*

Alcmanius tetrameter acatalecticus duobus conſtat dactylis, & totidem trocheis. Horatius:

Li.1.od.9. *Nec veteres agitantur orni.*

Alcmanius hypercatalecticus ſpondeo, dactylo, cæſura, dactylo, & ſpondeo. Boet.

Heu

Heu quam præcipiti merſa profundo. Lib. 1. me.
Mixtus ex Alcmanio, & Sapphico conſtat trocheo, ſpondeo, vel dactylo cum ſyllaba, dactylo, & ſpondeo. Boetius: 2.

Si quis arcturi ſydera neſcit. Lib. 4. me. 5.

Aſclepiadeus ſpondeum habet; dactylum, cæſuram, & duos dactylos: vel, vt alij metiuntur, ſpondeum, duos choriambos, & pyrrichium. Horatius:

Mecœnas atauis edite regibus. Li. 1. od. 1.

Archilochius tetrameter acatalecticus quatuor amat pedes heroici verſus, ſed tertium fere dactylum. Virgilius:

Bellatorq́; animo Deus incidit. Æn. l. 11.

Horatius: *Mobilibus pomaria riuis.* Lib. 1. od. 7.

Ithyphallicus tetrameter tribus conficitur dactylis, & pyrrhichio. Boetius:

Falce rubos ſilicemq́; reſecat. Lib. 3. me. 1.

Idem: *Vt noua fruge grauis Ceres eat.*

Elegiacus pentameter conſtat duplici pentemimeri: ſeu quatuor pedibus, & bina cæſura. Tibullus.

Alba palæſtino ſancta Columba Syro. Li. 1. el 7.

Idem fit ex Iambico, quem Reciprocum dicunt: cum à fine ad initium reſumpta verba in id carmen deſinunt. vt:

Fluunt liquore ſaxa nimboſo ardua.
Ardua nimboſo ſaxa liquore fluunt.

Sapphicus pentameter acatalectus recipit trocheum, ſpondeum, dactylum, & duos trocheos. Horatius.

Iam ſatis terris niuis atque dira.

Catullo ſecunda in ſede trocheus etiã placuit vetuſto more, quo & Seneca eſt vſus. Catullus:

Scal. lib. 2. cap. 16. *Seu Sacas ſagittiferoſq; Parthos.*

Phaleucius pentameter hendecaſyllabus conſtat ſpondeo, dactylo, & tribus trocheis. Catullus:

Cui dono lepidum nouum libellum.

Qui prima ſede pro ſpondeo Iambum, & Choreum: ſecunda vero pro dactylo admiſit ſpondeum.

Oramus, ſi fortè non moleſtum eſt.

Steſichorius pentameter catalecticus quinis conſtat pedibus, penultimo dactylo, vltimo ſpondeo. vt:

Stant immota ſuo Capitolia ſaxo.

Cyrillius pentameter hypercatalecticus quinque conficitur pedibus, & cæſura. vt:

Vere rubet noua purpureis roſa cincta comis.

Heroicus hexameter ſenis pedibus abſoluitur. Virgilius:

Æn. 1. *Tanta molis erat romanam condere gentẽ.*

Bucolicus hexameter quarto pede termi-

terminat orationem; quæ vocatur heptemimeris bucolica. Virgilius:

Cũ primũ ſulcos æquãt ſata. quiq́; paludis. Georg. 1.

Spondaicus hexameter quinta ſede pro dactylo Spondeum recipit. Virgilius:

Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas cõualles. Georg. 3.

Angelicus ideſt nuncijs aptus, alijs Priapeius, alijs Pſeudoheroicus hexameter, tertia ſede creticum poſtulat, qui partem claudat orationis: prima & quarta ſede trocheum, rarius ſpondeum: ſecunda dactylum. Catullus:

O Colonia, quem cupis ponte ludere longo.

Ibicius hexameter, pro Spondeo vltima ſede dactylum habet. vt:

Vtile ver nemorum tegit ardua bracchia
frondibus.

Steſichorius heptameter ſeptenis conſtat pedibus, ex quibus ſeptimus quiſque Spondeus eſt. vt:

Perſonat horrificum tonitru ſuper ardua
mœnia Romæ.

Archilochius heptameter acatalectus conſtat tetrametro bucolico, & tribus trocheis. Horatius: Lib. 1. od. 4.

Soluitur acris hyems grata vice veris, &
Fauoni.

Verſus Trochaici.

HI Trocheum recipiunt, & tribrachum in locis imparibus; hunc tãmen vltimo excludunt, retinentibus Comicis. In paribus eoſdem pedes cum ſpondeo, dactylo, anapæſto: ſed frequenter trocheum, ac ſpondeum, raro dactylum, anapæſtum, tribrachum, præterquam apud Comicos. Horum exempla deducta à breuiſſimis ad longiora vſui tradenda hæc ſunt.

Pancratius monometer hypercatalecticus duobus pedibus, & ſyllaba finitur. Angelus Politianus:

In mon. Lau. Med. *O dolor, dolor.*

Ithyphallicus dimeter brachicatalecticus tres pedes recipit. è ſacris hymnis:

Atque ſemper Virgo.

Euripidius dimeter catalecticus tribus pedibus conſtat, & ſyllaba. Horatius:

Lib. 2. od. 18. *Non ebur, neque aureum.*

Præf. in Enchir. Prudentius: *Quo regente viuimus.*

Alcmanius dimeter acatalecticus quaternis pedibus perficitur. Boetius:

Met. 2. lib. 4. *Quos vides ſedere celſo.*

Bachilidius quatuor exigit pedes cum ſyl-

ſyllaba. vt:

Terra vernis picta floribus.

Sapphicus trimeter brachycatalecticus quinque conſtat pedibus. vt:

Mater, integriq; flos pudoris.

Archilochius catalectus vna creſcit ſyllaba. vt:

Virgo Sole amicta, Sole pulchrior.

Hoc vſus eſt Terentius:

Hoccine credibile eſt aut memorabile. *In Andr. Act.4.Sc. 1.*

Sotadicus trimeter acatalectus ſex pedibus conficitur. vt:

Sole amicta Virgo ſola funde lucem.

Sapphicus trimeter hypercatalecticus vna augetur ſyllaba. vt:

Clara Virgo, quam niualis Luna ſuſtinet.

Sotadicus tetrameter brachycatalecticus ſeptem habet pedes. vt:

Virgo, te coruſca cingit ſyderum corona.

Archilochius tetrameter catalecticus vna priorem excedit ſyllaba. vt.

Deq; Solis, deq; Phœbes Diua fulges lumine.

Seneca:

Vos precor vulgus ſilentũ, voſq; ferales Deos. *In Med. act.4.*

Hippocratius tetrameter acatalecticus octo conſtat pedibus, ſeu duplici Alcmanio dimetro. vt:

Igne Solis, ſubditaq; Diua fulget igne Phœbes.

Ana-

Anacreonticus tetrameter hypercatale-cticus octo admittit pedes cũ ſyllaba: vt:
Igne Solis, ſubditaq; Diua Luna fulget ignibus.

Iambici Verſus.

IAmbici in locis paribus Iambum habent, vel Tribrachum: imparibus recipiunt Iambum, Tribrachum, Anapæſtũ, Spondeum, Dactylum. Vltima ſedes tribuitur Iambo, vt in Trochaicis Trocheo: Hæc autem in Catalecticis cenſetur, quæ proxime antecedit redundantem ſyllabam, ſiue cæſuram.

Ariſtophanius monometer duobus conſtat Iambis, & ſyllaba. vt:

Lætos per agros.

Euripidius dimeter brachicatalecticus ternis conſtat pedibus. vt:

Colles per editos.

Anacreonticus dimeter Catalecticus vnam ad tres pedes adiungit ſyllabam. Seneca: *Quonam cruenta Manas.* (*In Med. ch. Act. 4.*)

Anapæſtus in prima ſede addit celeritatem, & leporem. Claudianus: (*In Epith. Hon. & Ma.*)

Age cuncta nuptiali.

Archilochius dimeter acatalectus vna

eſt

eſt longior ſyllaba. Horatius:

Vt priſca gens mortalium. *Lib. ep. od. 2.*

Archilochius, ſiue vt alij, Alcaicus, & Alcmanius dimeter hypercatalecticus quatuor conſtat pedibus, & ſyllaba. Horatius:

Sylua laborantes geluque. *Li. 1. od. 9.*

Alcmanius quinque conſtat pedibus. vt:

Iucunda naſcitur Roma dies.

Hipponactius trimeter catalecticus vnā ad ſex pedes ſyllabam deſiderat. Horatius: *Lib. 2. od. 18.*

Nouaq́ pergunt interire Luna.

Archilochius trimeter Acatalecticus, Latinis à trina dimenſione Ternarius, Senarius à ſenis pedibus. Horatius:

Ibis liburnis inter alta nauium. *Lib. 1. ep. od. 1.*

Legitimus autem purus, & ſincerus, vt aiunt, Iambus è Solis iambis conſtat. Catullus:

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

Idem liber eſt apud Comicos ſolutam orationem imitantes, & quouis loco præterquam vltimo adhibentes tribrachum, dactylum, anapæſtum; ſed præſertim ſpondeum. Terentius: *In Andr. Ac. 1. Sc. 1.*

Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus.

Hipponactius Scazon, ſiue claudicans, & choliambus, ſeu Iambus claudus item trimeter, mutatis pedibus penultima

ſede

ſede iambum, vltima ſpondeum habet. Catullus:

Egnatius quod candidos habet dentes.

Sapphicus conſtans pentemimere heroica, & dimetro iambico. Horatius:

Lib. epod. od. 11.

Scribere verſiculos amore perculſũ graui.

Archilochius contra dimetro iambico, & eadem penthemimere, ſeu ſpondeo, dactylo, & cæſura. Horatius:

Tu vina Torquato moue Conſule preſſa meo.

Alcaicus conſtat pentemimere iambica, & duobus dactylis. Horatius.

Lib. 1. od. 9.

Vides vt alta ſtet niue candidum.

Alcaicus alter conſtat eadem pentemimeri, & dactylo, & ſpondeo: Boetius:

Lib. 4. me. 5.

Propinqua ſummo cardine labi.

Hipponactius, ſiue vt alij, Anacreonticus tetrameter catalecticus vnam ad octauum pedem ſyllabam deſiderat. Catullus:

Remitte palliũ mihi meum quod inuolaſti.

Sed apud Comicos ſpondeum frequenter admittit in ſeptima ſede, tribrachum etiam, & interdum dactylum. Terentius:

In Andr. Ac. 3. Sc. 3.

Et is mihi ſuadet nuptias, quantũ queam, vt maturem.

Ariſto-

Ariſtophanius tetrameter acatalecticus, latinis quadratus, & octonarius octo conſtat pedibus. Seneca.

Exultat, & ponit gradus pater decoros Dardanus. In Agam. ac. 3.

Quem ſua libertate Comici pangunt. Terentius:

Quod vulgus ſeruorum ſolet, dolis vt me deluderes. In Andr. Ac. 3. Sc. 4.

Alcaicus choriambicus pentameter cõſtat ſpondeo, tribus choriambis; & Pyrrhychio. Horatius:

Tu ne quaſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi. Lib. 1. od. 11.

Sapphicus choriambicus tetrameter conſtat Epitrito ſecundo, duobus choriambis & bacchio. Horatius:

Te Deos, oro Sibarim cur properes, amãdo.

Alij attribuunt choreum, ſpondeum, dactylum, cæſuram, dactylum, duos choreos. qua ratione eſt verſus hexameter. Anacreonticus choriambicus tetrameter ex tribus choriambis, & bacchio. Claud. In Epith. Hon. & Ma.

Et Padus electriferis admoduletur alnis.

Galliambus à Gallis Cybeles ſacerdotibus dictus, qui in eius ſacris hunc verſum canebant, duos dimetros iambicos continet. Primus eſt Anacreonticus trium

pedum

pedum cum ſyllaba: ſecundus Euripidius pedum trium. In prima ſede prioris ponitur etiam proceleuſmaticus: in prima autem ſede poſterioris ferme anapæſtus, in ſecunda eiuſdem ferme eſt tribrachus.

De Benec. & Aty. Catullus.

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Verſus Anapæſtici.

HI conſtant Anapæſto. recipiunt tamen ſpondeum, & dactylum. Monometro duo tribuuntur pedes. Seneca:

In Hipp. Ac. 1. *Leuiore manu.*

Choricus item monometer binis pedibus vnam adijcit ſyllabam. vt:

Roſa vere rubeſcit.

Ariſtophanius dimeter brachicatalecticus tribus conſtat pedibus. vt:

Roſa murice pulchrior eſt.

Pindaricus, ſiue Partheniacus dimeter catalecticus vnam ad tres pedes adiungit ſyllabam, quorum tertius ſolum eſt anapæſtus. Boetius:

Lib. 2. me. 5. *Pretioſa pericula fodit.*

Lib. 3. me. 5. Idem: *Fœdis ſubmittat habenis.*

Archilochius eſt dimeter acatalecticus, qui præſertim latinis placuit. ſecunda & quar-

quarta ſede fere dactylum reſpuit. Seneca.

Lugeat æther, magnuſq; parens. *In Herc. fur. Chor. 4.*

Alcmanius dimeter ſyllaba augetur. vt:

Roſa murice fulgida, rore madeſcit.

Pindaricus alter proximum altera ſyllaba excedit. vt:

Roſa murice fulgida, turgida roribus.

Alcmanius trimeter catalecticus, conſtat quinque pedibus, & ſyllaba. vt:

Roſa murice fulgida, roribus vda nitebit.

Ariſtophanius tetrameter catalecticus ſeptem habet pedes cum ſyllaba. vt.

Mare fluctibus infremit, vnda aquilonibus icta remugit.

Aliquot ex Anapæſticis omiſimus, & pauci adhuc ex alijs ſuperſunt. inter quos ſua raritate memorabilis eſt Sotadicus tetrameter, qui quatuor conſtat pedibus, tribus Ionicis à maiore, ac Spondeo; inchoatus enim à duabus ſyllabis longis, ter duas eiuſdem quantitatis ſubiungit duabus breuibus. Terentianus:

Vocalia quadã memorant: conſona quadã. *De Metris.*

Hic purus eſt ac legitimus. impurus erit Sotadicus interpoſito ſecunda, tertiaue ſede dichoreo: vel vtraque, aut prima ſede pentaſyllabo ex Anapæſto, & Pyrrhichio. Martialis:

Has

Lib.2.epigr.29. *Has cum gemina cõpede dedicat catenas.*

De Metris. Terentianus:

Quia multa ferũt hoc pede Sotadẽ loquutũ.

Ionicus à minori trimeter tres pedes admittit Ionicos à minori, ideſt duas longas duabus breuibus ter ſuccedentes. Horatius:

Lib.3. od. 12. *Agitato grege ceruos iaculari.*

Cui pes additus efficit tetrametrũ. Hor.

Ibidem. *Celer acto latitãtẽ fruticeto excipere aprũ.*

His adduntur Pyrrichij ex omnibus breuibus: qui numerum ſyllabarum in vnoquoque genere æquare poſſunt. Par Anacreontico Bernardini Stephonij:

In Trag. Fl. *Age nigra quate cohors.*

Pentameter Scaligeri:

Latet' vbi lapide gelida mea Roſa.

Plura Seruius in Centimetro: Terentianus de Metris. Diomedes lib. 3. Marius Victorinus in libr. de ratione Carminum. Scaliger 2.lib.poëticæ: alijq. neoterici grammatici.

FINIS.

IN-

INDEX RERVM
præcipuarum.

A

ACHILLES, & exempla. 244.245

Æneas, heroica perſona, vitijs non caruere. pag. 307.308

Actio Heroica. Vide, Heroica. Actiones humanæ Vide, Poëſis.

Actionis unitas in fabula unde ſpectanda. 101. 102

Actus fabulæ an, & cur quinque. 277.288.295

Adhortatiuũ carmen. Vide, Paræneticum.

Admiratio quid. 197. vnde oriatur. ibid. quæ faciant admirationem in Tragœdia, Comœdia, Epopœia. 197.198

Adonius verſus. 419

Æmulatio quid. 222.242. qui, & ob quæ amulẽtur. 242. 243. æmulationis

Æneis. Vide, Ilias.

Æſchylus, Sophocles, Euripides ad Tragœdiam quid contulerint. 125

Ætates hominũ quot. 207. Vide, Mores.

Affectus, gracè, πάθος, quid. 215 animum, & corpus immutant. 215. 216. numerantur vndecim. 217. plures, pauciores ue ab alijs. 218. quæ ad eos concitandos notanda. 249.250.251. Tragici sũt incitati. 287

Agnitio perſonarum in Tragœdia. 160. 161. 163. 165. quid ſit agnitio in fabulis 174. 175. 176. 177. 286. quotuplex. 177. 178. eius genera quinque. 178.179. 286.

286. *an in Tragœdia ſit neceſſaria*. 180. 186. *fere ſemper eſt in Comœdia*. 295.
Alcaicus verſus iambicus. 427. *alter*. 428. *alter*. 429.
Alcmanius verſus dactylicus quadruplex, 420. *trochaicus*. 424. *iambicus*. 427. *anapæſticus duplex*. 431.
Allegoria fabulis à poëtis inuoluitur. 319. 320. *ijs præcepta philoſophica teguntur*. 320. *nō tamē fœdis, atq; impuris*. 320. 321
Ἀμάρτημα, & ἁμαρτία, *quid*. 149.
Ambitio quid. 422.
Amœbæum carmen. 327.
Amor quid. 217. 219. *differt ab amicitia*. 219. *erga quos feratur*. *ibid*. *duplicis eſt generis*. 219. 220.
Amphitruo Plauti Tragicomœdia. 300.
Anacreōticus verſus trochaicus. 426. *iambicus*. *ibid*. *alter iambicus*. 426. *alter*. 428. *Anacreontis ſuauitas*. 397.
Anachroniſmus, hoc eſt, tēporū permutatio, conceſſa poëtis. 259. 260.
Anapæſtici verſus. 430. 431. 432.
Angelicus verſus. 423.
Antiſtrophe quid. 283. 389.
Antode quid. 283.
Apobaterium carmen. *Vide*, Diſceſſio.
Apodoſis quid in ſchemate. 384.
Apparatus, & Melodia Tragœdiæ, Comœdiæq; communis. 168. *An ſint earū pars*. 122. *in Epopœia non ſunt*. 314. *Tragicus apparatus partim loci eſt*. 271. 272. *partim perſonarum*. 273. *Vide etiā*, Perſona, Theatrum.
Appoſita. *Vide*, Epitheta,

Ara.

Ara. Vide, Pulpitum.
*Archilochius verſus dactylicus.*419. *alter.* 421. *alter.* 423. *trochaicus duplex.* 425. *iambicus.* 426. *alter* 427. *alter.* 428. *anpaſticus.*430.
Argumentum. Vide, Tragœdia.
*Argutiæ, ſtyli tenuis, & Elegiæ propriæ.*369. *Heroicum an deceant.ibid. earum loci.*375.
Ariſtophanius verſus dactylicus. 420. *trochaicus.*426. *iambicus.*429. *anapæſticus.* 430. *alter.* 431.
*Ariſtoteles verſibus multa ſcripſit.*104.
Artis materia quæ. 15. *Vide*, Natura.
*Aſclepiadeus verſus.*421.
Atellana Comœdia. 297.
*Auaritia quid.*222.
*Auditio ad profectũ conducit.*60.61. *Poetæ olim recitantes audiebantur.* 61.*& Oratores.* 62.
Auletica an diuerſa poeſeos forma. 122.123.
Aurea corona quibus data. 116.

B

BACCHVS cur dictus Dithyrambus. 390. 391.
*Bachilidius verſus.*424.
Bucolicus verſus. 422. 423.*Vide etiam*, Ecloga.

C

CÆDES, ac mortes in Tragœdijs an sẽper ab oculis ſpectantiũ ſubmouendæ. 181. 182. 183.
*Καλλίνικον quid.*394.
Cantus. Vide, Carmen, Melodia, Poëſis.
Carmen, & cantum natura docuit. 3. *quid ſit.* 9. 10. *propriè eſt quod muſicis modis canitur.*3.

an in eo tota poeſeos ratio ſita ſit 41. *an carmine Poeta differat ab Hiſtorico.* 42. 43 *eſt oratio poetica*. 119. *omnibus poematibus eſt commune.* 121. 290. *Vide etiam,* Epopœia, Poëſis, Verſus.

Catachreſis Vide, Metaphora.

Cataſtaſis, ſtatus fabulæ. 276.

Cataſtrophe, & Solutio fabulæ differunt. 199. *Cataſtrophe eſt rerũ conuerſio.* 276.

Choragus quid. 271. *Melodiam quoque curabat.* 273 285.

Choricus verſus. 430.

Chorus quid. 279. *non eſt pars Tragœdiæ. ibid. nullus poſt actum vltimum. ibid. quæ eius origo.* 280. *cur è Comœdia ſublatus. ibid. eius perſonæ quales.* 280. *quot.* 281. *duplex eius forma.* 281. 282. *perſonarum choricarum progreſſio.* 282. 283. *loquentis partes interdum agit.* 283. *Coryphæus præſultor.* 282. *Vide etiam,* Iugum, Ode, Orcheſtra, Parodus, Staſimus.

Cicero fuit etiam poeta. 105.

Citharistica an diuerſa poeſeos forma. 122. 123.

Commus, κόμμος, quid in Tragœdia. 279. 284.

Comœdiæ munus. 117. *quo differat à Tragœdia, & Epopœia.* 121. 122. *perſonas fictas admittit.* 131. 132. 133. *eius nominis ratio.* 287. 288. *origo. ibid. definitiones eius variæ.* 288. 289. 290. *quis eius finis.* 290. 294. *quale eius ridiculũ.* 291. 292. *eius materia, ac modus lenis, & ridiculus.* 292. 293. *nomina, & perſonæ eius fictæ, &*

ad

ad riſum compoſita. 294. *partes formæ eius.* 294. 295. *quantitatis.* 295.
Comœdia Vetus, Media, & Noua; & qui earum autores. 296. 297. *Comœdia Palliata, Prætextata, Togata, Tunicata, Tabernaria, Atellana, Motoria, Stataria.* 297. *Vide etiam*, Agnitio, Apparatus, Chorus, Dictio, Epicharmus, Fabula, Harmonia, Heroica, Magnitudo, Melodia, Menander, Mores, Pathos, Peripetia, Prologus, Protaſis, Rythmus, Satyra, Scena, Sententia, Tragœdia, Vnitas.
Concupiſcentis, Iraſcentiſq; facultatum affectus quot. 217. 218.
Confidentia timori contraria. 217. *eius exempla.* 231. 232.
Corona varij generis poëtis tributæ. 112. 113. 114. 115. 116. *Vide*, Aurea, Hedera, Laurea, Myrtea, Oleagina, Querna.
Culpam, ac peccatum quæ minuant. 150. 151. *Vide*, Ignorantia, Metus.
Cupiditas. Vide, Deſiderium.
Curioſitas quid. 222.
Cyrillius verſus. 422.

D

DACTYLICI verſus. 419. 420. 421. 422. 423.
Delectatio quatenus Poetæ quærenda. 11. 12.
Deſcriptio familiaris eſt Poetæ. 254. 255. 256.
Deſcriptio Actionis, Loci, Perſonæ, Temporis. ibid.
Deſiderium quid. 217. 222. *differt à cupiditate.* 222. *quæ eius cauſa. ibid. qui magis eo teneãtur.* 222. 223. *eius exempla.* 223. 224.

INDEX.

Deſperatio quid. 217. 230. *eius exempla.* 230.
Dianoea, διάνοια. Vide, Gnome.
Dictio. 172. *quid ſit.* 251. *quid poëtica dictio, & quo ab Oratoria, & Hiſtorica differat.* 252. *vſq; ad* 263. *eius præcepta.* *ibid. Comica dictio.* 295. *Heroica.* 315. *Vide etiã*, Fabula, Sententia.
Dimiſſorium poema. Vide, Propemticum.
Dira, carmen execratorium, eiuſq; forma. 358. 359.
Diſceſſionis poema Apobaterium, quod in diſceſſu fit, eiuſq; forma. 345. 346
Diſciplinarum omnium præſidia Natura, Inſtitutio, Exercitatio. 46.
Diſpoſitio poetica qualis. 93.
Dithyrambici, ac Lyrici nihil interdum fingunt. 31. 32. *Dithyrambica pars quædam poeſeos.* 32. 388. *eius origo, & initia.* 33. 389. *munus.* 117. *quomodo differat à reliquis poeſeos generibus.* 122. 388. *Vnde Dithyrambus dictus.* 124. 390. *cepit à Bacchi laudibus.* 124. 390. 391. *interdum idem cum Lyrica, interdum pars eſt Lyricæ.* 388. *carmen Dithyrambicum audax, inconſtãs, turgidũ.* 391. 392. 398. *aptum animis perturbandis.* 392. *Vide etiam*, Bacchus, Lyrici, Pindarus.
Diuitum mores. 210.
Dolor. Vide, Triſtitia.
Draco verſibus leges complexus. 104.
Dramati præfixus olim terminus. 188. 189. *Dramatũ genus multiplex.* 300. 301. *Vide etiam*, Modus.

ECLO-

E

ECLOGA, ab agreſtibus inuenta, ruſticas perſonas imitatur. 323. cur ſic dicta. 324. eius perſona, ac res. ibid. modus, ac forma loquente poeta. 324. 325. eo tacente, aliiſq; loquentibus. 326. 327. ad altiora ſe interdum attollit. 327. 328. Vide etiam. Epopœia.
Elegia à queſtu dicta. 368. eius tamen materia latius patet. 367. 368. definitur. ibid. ſtylus eius, ac forma. 369. 370. An ſit Epodos. 396. 397. Vide, Argutiæ, Epopœia.
Elegiacus verſus pentameter. 421.
Empedocles an poeta. 38. 39. 40. Vide etiam. Veriſimile.
Emblema ab Ægyptijs ortum. 375. 376. quid ſignificet, & quid ſit. 376. quot partibus cõſtet. 376. 377. imago eius vnde petenda. 377.
Enargia, qua & Euidentia, & Perſpicuitas, quid ſit, & quot ex capitibus oriatur. 256. 257.
Epibaterium carmen, quod fit in reditu, eiuſq; forma. 346. 347. 348.
Epicharmus primus Comœdiæ ſcriptor. 288.
Epicedion carmen mortuo dictum ante ſepulturam, eiuſq; forma. 359. 360. 361.
Epigramma propriè Inſcriptio. 370. nunc breue quoduis cõplectitur poemation. ibid. duplex eius definitio. 371. 372. 373. non ſemper ex prius poſitis colligit aliquid, vel contra. 371. 372. eius materia late patet. 373. cõſtituitur ſub Epopœia,

Lyriceq́; pœmate. ibid. an ſemper imitetur. 373. 374. *eius forma.* 374. *breue ſit, & argutum.* 374. 375. 376. *ſtylus eius. Vide etiam,* Epitaphium.
Epigramma figuratum. Vide, Impreſa.
Epinicium, carmen victori decantatum. 395.
Epipompeuticon carmen in pompa. 396 *in triumphis, ac ludis. ibid.*
Epiſcenium, ſiue Podium quid. 272.
Epiſodium quid. 193. *eſt extra fabulam, & cur inuentū.* 193. 194. 286. *quid de eo præcipiat Ariſtoteles. ibid. qua ratione cognoſcatur ſit ne Epiſodium.* 194. 195. *An ſit pars fabulæ.* 194. 195. 196. *in Epopœia ne ſint immodica.* 314. *Quid Epiſodum in Tragœdia.* 275. 285.
Epiſtola verſu etiam ſcribitur, & cur. 364. *præſertim ad amicum, vt redeat.* 364. 365. *eius forma. ibid.*
Epitaphium carmen ad tumulum. 361. *& ſæpe anniuerſariū.* 359. 361. *eius forma.* 361. 362. *Aliter, inſcriptio eſt, ſiue Epigramma ad tumulum* 364.
Epitaſis quid in fabula. 276.
Epithalamium nuptiale carmen, & eius forma. 334. 335.
Epitheta, ſiue Appoſita poetis familiaria. 257. 258. 259. *eorum vſus. ibid.*
Epodus quid. 283. 289.
Odæ Epodi quid. 396. 397. *Vide etiam,* Elegia.
Epos. ἔπος, quid. 302. 303.
Epopœia an interdū carmen repudiet. 44. 117. *in quo ſimilis ſit Tragœdiæ.*

dia. 120. 121. *an conueniat cum Lyrica*. 122. *complectitur etiam Elegias, & Epigrammata*. 123. *Eclogas etiam, & Satyras*. 303. *An perſonas fictas admittat*. 132. 133. 134. *quid ſit*. 302. *Epopœia preſſius Heroicam ſignificat. ibid. An Epicus poeta, cum ipſe loquitur, imitetur*. 318. 319. *Vide etiam*, Apparatus, Comœdia, Epiſodium, Heroica, Epigrāma, Fabula, Magnitudo, Mores, Pathos, Peripetia, Vnitas.

Error, & ſcelus differunt. 149. *error perſonæ Tragicæ, qualis eſſe debeat*. 150. 151. 152. *An ſemper in Tragico Protagoniſta requiratur error, & qualis*. 153. 154. 155. 156.

Ethos, ἦθος. *Vide*, Mos.

Eucharisticū carmen ad agendas gratias, eiuſq́ forma. 340. 341. *Ode Eucharistica*. 400.

Euidentia. Vide, Enargia.

Euripides. Vide, Æſchylus.

Euripidius verſus trochaicus. 424. *Iambicus*. 426.

Exegematicus. Vide, Modus.

Exercitatio. Vide, Diſciplina.

Exordium orationis quādo excogitandum, aut ſcribendum. 366. 367.

F

F*ABVLA quid*. 285. *an ſola ipſa poeſim conſtituat*. 25. 30. 31. *eas Poeta ſectatur quatenus credibiles, aut veriſimiles*. 28. 29. *Fabula, Mores, Dictio, Sententia Tragœdiæ, Comœdiæ, & Epopœiæ communes*.

nes.168.294.314.interdum Lyrica.168.Fabula ſimulacrum eſt vera actionis. 169. Fabula Tragica quæ ſint propria.169.170. 285. humana actione veriſimili circumſcribitur.171. nõ eſt tota Tragœdia. ibid. eius proprietates.173 & ſeqq. Fabula partitio varia, in tres, quatuor, quinque partes.278.Comica qualis.294.Heroica qualis. 314. Vide, Actio, Cataſtaſis, Cataſtrophe, Epiſodium, Epitaſis, Implexio, Integritas, Lyrici, Machina, Magnitudo, Mores, Paſſio, Peripetia, Poëſis, Principium, Simplicitas, Solutio, Veriſimile, Vita, Vnitas.

Facultas quid. 45. Vide etiam, Poëtica.

Feritas, heroicæ actioni contraria.305.quid ſit. ibid.

Figura Impreſſa. Vide, Impreſſa.

Figurata conſtructio Poeta propria. 252.

Filij interdum plectuntur ob peccata parentũ. 155.

Forma, ſeu ſpecies poëſeos quatuor. 117. quomodo diſtinguãtur.118.vſq; ad 124. An præter has, addenda forma Auletica, et Citharistica. 122.123.

Fortunæ permutatio qualis eſſe debeat in perſona Tragica. 157. vſque ad 161. Fortunatorum mores.210.211.

Fuga affectus quid, & vnde.217.223.

Furor pooticus. 49. furor quidam ex morbo, quidam ex diuina mentis alienatione.49.50.diuinum quiddam eſt Platoni.50.51.54. Ariſtoteli eſt atræ bilis efferueſcentia. 51.52.

GAL-

G

GALLIAMBVS verſus. 429.
Gaudium quid. 217.225. 290. *differt à voluptate* . 225. *quid illud pariant.ibid.eius exempla.* 227.
Genethliacon, natalitium carmen . 332. *eius forma; ac præcepta* . 333. 334.
*Glyconius verſus.*420.
Gnome, γνώμη, *quid* , *&* *quomodo à Dianœa differat.*213.*vtraq; à Poetis vſurpatur.*214.
*Gratia eſt qua beneficium vel impenditur , vel rependitur.*247.248. *quid eam cõmendabilem reddat.ibid. eius exempla* . 248.249.
*Gratiarum actionis carmen.Vide,*Euchariſticũ.

H

HARMONIA poeticum inſtrumentũ . 119. *an adhibeatur in Comœdia* . 290. *Vide etiam,* Inſtrumenta.
*Hedera cur poetarum corona.*113.114.
Helleniſmus poetis familiaris. 252.
Heroica poeſis pars Epopœia. 132.133. 303. *an fictas perſonas admittat. ibid.quomodo definiatur.* 303.*differt à Comœdia , Tragœdia , & Lyrica* . 304.*quis eius finis. ibid. quid heroica virtus,ſiue actio.* 305.309. *non niſi diuina virtute comparatur.* 306.*fortitudo potiſſimum heroica eſt virtus.* 307.*ſed & cuiuſuis virtutis præſtantia.*307. 308. *Heroës vitijs non caruere.*307.*perfectam*

vir-

virtutis imaginem exprimit in Heroë poeta. 309 310. *ideo praſtantior eſt, quàm Hiſtoria.* 310. 311. *virtutis heroica proprietates tres.* 311. 312. 313. *Heroicũ poema quale eſſe debeat.* 314. *Præcepta decem in heroico ſeruanda poemate.* 316. 317. 318. *Vide etiam,* Argutiæ, Dictio, Epopœia, Fabula, Feritas, Vnitas.

Heroicus verſus hexameter. 422. *eius praſtantia.* 302.

Hieroglyphica quid. 375.

Hipponactius verſus trochaicus. 425. *iambicus.* 427. *alter Scazon. ibid. alter.* 428.

Hiſtoria materia non sũt tantum actiones humanæ. 18. *Hiſtoricus, & Poeta quid differant.* 23. 42. 43. 69. *Vide etiam,* Dictio, Carmen, Heroica, Poëta.

Homeri laus. 104. 105. *ei templum erectum.* 112. *Vide etiam,* Matron.

Horatij laus. 398.

Humanitas, ſeu φιλανθρωπία *latius patet, quã Miſericordia.* 148.

Hymnus quibus canendus. 394. 399. *eius forma.* 399. 400. 401. *Vide etiam,* Ode, Pæanes.

Hyperbaton apud Poetas. 259.

Hypoſcenium quid. 302.

I

IAMBICI verſus. 426. 427. 428. 429.

Ibycius verſus hexameter. 423.

Icaſtica imitatio. 6.

Idyllion vnde dictũ. 392.

Ignorantia quatenus culpam excuſet. 151. 152.

Ilias, Odyſſea, Æneis an ſimplices fabulæ. 176.

Imago

Imago eſt ſimile quid expreſſum ex altero. 4. 5.
Imago Emblematis. Vide, Emblema, Imitatio, Impreſia.
Imitatio homini communis cum brutis. 2. *hominis tamen maximè propria. ibid. Quid ſit poetica imitatio*. 4. *effectrix eſt imaginum*. 5. *quibus rebus fiat*. 5. *Alia Icaſtica, alia Phantaſtica*. 6. *non quauis ad poeſim ſatis eſt*. 33. *Vide etiam*, Poëſis, Poëta.
Imitatio Scriptorum. Qui imitandi, quidue in ijs. 58. 59. 84. *optimi quiq; imitandi*. 84. *quo modo imitatio definienda*. 84. 85. *imitanda optima*. 85. *quadam eſt verborum, quadam rerum*. 85. 86. *pracepta in imitatione ſeruanda*. 86. 87. 88. 89. *ſuam in ea quiſque naturam ſequatur*. 86. *neque ſe totum ad alterius normam effingat*. ibid. *nec ſe vni tantum addicat*. 87. *ſequendus tamen vnus pra omnibus excellens*. 87. 88. *iſq; in maximè illuſtribus locis cum æmulatione*. 88. *neque appareat, quid ſimus imitati*. 89. *imitandi modus*. 90. 91. *Rerum imitatio in inuentione, ac diſpoſitione conſiſtit*. 92. 93. 94. *Verborũ imitatio fit vel adiectione*. 95. 96. *vel detractione*. 96. 97. *vel commutatione*. 97. 98. *praſertim figura*. 99. 100. 101.
Implexio fabula quid. 173. 74.
Impreſia, hoc eſt figuratum Epigramma, an ad poeſim ſpectet. 378. *eius nomina. ibid. Inſcriptione conſtat, & Figura*. 378. 379. *An ha ſint eius Forma, & Materia*. 379.

379. *ad qua tempora ſeratur, & cur inuenta.* 380. *in Figura non ſiſtimus, ſed vlterius tendimus.* ibid. *Figura, ſiue Imaginis pracepta ſeptē.* 381. 382. 383. *totidem Inſcriptionis, ſiue Epigraphes.* 384. 385. 386. 387.

Impudentia quid, & eius exempla. 246. 247.

Indignatio, νέμεσις, quid, & quomodo differat ab Inuidia. 238. *qui, & ob qua indignentur.* 238. 239. *eius exempla.* 240. 241.

Ingenium. Vide, Poëta.

Initiū. Vide, Principium.

Inſcriptio. Vide, Impreſia, Epigramma.

Inſtitutio praceptoris futurum poetam informet. 58. 59. *Inſtitutor, ſeu praceptor qualis eſſe debeat.* 59. *diſpiciat in quod genus poematis inclinet diſcipulus.* 59. *Vide etiam,* Diſciplina.

Inſtrumenta poetica tria, Oratio, Harmonia, Rythmus 118.

Integritas fabula quid. 186. *conſtat principio, medio, ac fine.* ibid. & 286.

Inuentio poetica qualis eſſe debeat. 91. 92.

Inuidia, ſiue Inuidentia quid. 241. *qui, & ob qua inuideant.* 241. 242. *eius exempla.* 243. 244. *Vide etiam,* Indignatio.

Inuocatio Muſarum vbi permittatur. 93. 94.

Ira odij cauſa. 220. *quid ſit.* 217. 233. *qui, & in quos iraſcantur.* 233. 234. *ira exempla.* 235. 236. *Iraſcens facultas. Vide,* Concupiſcens.

Ithyphallicus verſus dactylicus. 421. *trochaicus.* 424.

Iugum, & Ordo quid in cho-

choris. 281. 282.

Iuuenum mores. 208. 211.

L

LAVREA *corona cur Poetis tributa*. 112. 113.

Laus. Vide, Panegyris.

Lectio Oratorum, ac Poetarum apprime vtilis. 62. 63. *optimi quique legendi*. 64. 65. *à quibus Poetis legendi fiet initiũ*. 67. 68. *quis legendi modus*. 68. 69. 71. *conſtat rerum intellectu, animaduerſione, annotatione*. 69. 70. *ſeruetur in ea ordo, mora, repetitio*. 69. *verba etiam obſeruanda*. 70.

Lex Poetica, ſeu νόμος, quid. 123.

Libido quid. 222.

Libri ſunt muti magiſtri. 64.

Linus Poeta. 103.

Liuius Andronicus, & Lucilius Satyræ parentes. 329.

Lucanus an Poeta. 29. 30. 42.

Lype, λύπη, *cur dicta Triſtitia*. 226.

Lyrici, ac Dithyrambici Poetæ fabulam non habent. 31. 32. *Lyricorum quæ munera*. 31. *Odas complectuntur*. 123. *dicti ſunt Melici*. 389. *Lyrica antiquiſſima, et eius initia*. 389. *A Deorum laudibus ad Heroas traducta*. *ibid. tum vero ad alia omnia*. 389. 390.

Lyricum dicendi genus, ac forma qualis. 397. 398. *quantitas poematis Lyrici*. 398. *Vide etiam*, Dithyrambici, Epigramma, Epopœia, Fabula, Heroica, Melodia.

MA-

INDEX.

M

MACHINÆ *ſolutio quatenus admittatur in fabula.* 200.
Magnitudo fabulæ quanta in Tragœdia, Comœdia, Epopœia. 187. 188. 286.
Manſuetudo quid. 234. *quæ illam gignant.* 234. 235. *eius exempla.* 236.
Martyres an in Tragœdia Protagoniſta perſonæ eſſe poſſint. 142. 143. 144. 146 147. *Vide etiam,* Miſericordia.
Maffæus. Vide, Vrbanus.
Materia, & Forma quid ſint in Artibus. 15. 16. *Vide etiam,* Tragœdia.
Matron Poeta Homericos verſus ad rem culinariam tranſtulit 321.
Melodia communis Tragœdiæ, Comœdiæ, & Lyricæ. 168. *eius varium genus, Doricum, Æolicum, Ionicum, Phrygiū, Lydium.* 273. 274. *Vide etiam,* Apparatus, Choragus.
Melici Poetæ. 168. *Vide,* Dithyrambici, Lyrici.
Menander nouæ Comœdiæ cultor præcipuus. 296.
Metaphora, hoc eſt, quaſi verbi translatio, poetis familiaris. 252. 253. 254. *eius definitio.* 264. *differt à Catachreſi, Synecdoche, Metonymia. ibid. quatuor complectitur genera. ibid. in ſimilitudine proportionum conſiſtit.* 265. 266. *non tamen quæuis admittitur.* 266. *orationē exornat.* 266. 267. *eius virtutes, ac vitia.* 267. 268. 269. 270.
Metonymia inuentoris pro re inuenta, aliaq; ſimiles apud poetas. 260. *Vide etiam,* Metaphora.

Me-

trum quid, & unde di-um. 410. *Vide*, Carmen, Verſus, Poëta.
etus quid. 128. 217. 30. *quatenus culpam inuat*. 150. 151. *quæ netum incutiant*. 230. 249. 250. *qui illi obnoxij*. 231. *eius exempla*. 232. *Vide etiam*, Miſericordia, Confidentia, Tragœdia.
Παρὸν quid. 145.
Mimi, ſeu Planipedes poemata referebãt. 119.
Miſericordia, & Humanitas differunt. 148. *quid ſit Miſericordia*. 128. 237. *qui miſereãtur, & quorum*. 237. 238. *quæ excitent miſericordiam*. 238. *eius exempla*. 239. 240. *An Miſericordia, & Metus in viri ſanctitate inſignis nece excitari poſſit*. 140. 141. *an in nece Martyris*. 142. 143. 144. *Vide etiam*, Humanitas, Tragœdia.
Modus Poematum Exegematicus, Dramaticus, Mistus. 119.
Monodia, funebris vnius querimonia. 363.
Mors. Vide, Cædes.
Mores fabulæ quid. 171. 172. *Mos an idem ſit, quod ἦθος*. 201. *quid ſit*. ibid. *earum eſt rerum, quæ in noſtra ſunt poteſtate*. 202. *quo pacto mores in poematis exprimantur*. 202. *Morata oratio*. *ibid*. 286. 315. *quomodo mores effingendi*. 203. *an ſemper mores effingendi probi*. 203. 204. *quales tribuendi perſonæ Tragicæ, Comicæ, Epicæ*. 203. 204. 295. *conueniant perſonæ, quæ fingitur*. 204. & *opinioni, quam de illa homines habent*. 205. *in vna, eademq; perſona ſint ſẽper ijdem*. 206. *ætatum mores.*

mores. 207. 208. *fortunarum*. 209. 210. 211. *Vide etiam*, Fabula,
Motoriæ Comœdiæ. 297.
Muſæus poeta. 103.
Myrtea poetarum corona. 113.

N

NÆNIA *laudatorium funebre carmen ad tibiam*. 363. 368.
Narratio poetica, eiuſq; forma. 365. 366.
Natura arte iuuanda. 56. 57. *Vide*, Carmen, Diſciplina, Poëta.
Nobilium mores. 210.
Nomos, νόμος, *poeticus quid*. 123.

O

ODE *in choro quid*. 283. *Ode à canendo dicta*. 392. *Odarum genera*. 394. 395. 396. 397. *Earundem forma varia. Hymni*. 399. 400. *Laudatricis*. 401. 402. 403. 404. *Vituperatricis*. 405. *Conſolatricis*. 405. 406. 407. *Gratulatricis*. 407. 408. 409. *Dimiſſoria*. 409. 410. 411. *Suaſoria*. 411. 412. *Diſſuaſoria*. 313. *Parenetica*. 414. *Poſtulatricis*. 415. *Vide etiam*, Epodus, Lyrici, Scolium.
Odium quid. 217. 220. *erga quos, & quibus ex cauſis excitetur*. 220. 221. *Odij exempla*. 221. 222.
Odyſſea Tragicomœdiæ forma. 298. 299. *Valde morata*. 315. *Vide etiã*, Ilias.
Oleagina poetarum corona. 114. 115.
Orcheſtra vnde dicta. 119. *in ea chori ſaltationes, & cantus*. 271.

Vide,

Vide, Pulpitum
Ordo. Vide, Iugum.
Orpheus poeta. 102. 103.

P

PÆANES *Hymni qui.* 394. 395.
Pallas è Ioue nata quid ſignificet. 230.
Palliata Comœdia. 297.
Pancratius verſus. 424.
Panegyris quid. 349. 424.
Panegyricum, ſiue exornatiuum carmen fit cũ figmento, & ſine figmento, & hoc tribus modis. 350. *ſingulorum forma.* 351. 352. 353. *Panegyrici exempla.* 353. 354. 355. *Laus brutorum.* 356. *inanimatorũ.* 356. 357. *regionum, & vrbium.* 357. *vituperatio.* 358.
Paraphraſis in ſcribendi exercitatione, an, & quæ probãda. 73. 74. 75.
Paraneticum, ſeu Protrepticum, ſiue Adhortatorium carmen, quod ad virtutem hortatur. 342. 343.
Parodia verſus heroicos ad ridicula transfert. 322. 323.
Parodus in choro quid. 283.
Partheniacus verſus. 430
Paſſio Tragica fabula cõditio. 198. *Vide*, Pathos.
Paſtoritium drama. 301. *Vide etiam*, Ecloga.
Pathos, πάθος, quid. 181. 215. *an Tragœdia, Comœdia, Epopœia conueniat.* 181. 286. *dicitur latine Paſſio, ſeu Perpeſſio.* 215. *ac Perturbatio, ibid. Vide*, Affectus.
Patronymica poetarum propria. 260.
Peccatum. Vide, Culpa, Filij.
Peripetia fabulæ quid. 173. 174. 175. 285. *eſt &*

Tragica, & Comica, & Epica. 174.315. *quæ optima.* 175. *qualis Tragica, vel Comica.* 174. 294. *qualis Epica.* 315.

Perſona diuerſorum poematum diuerſæ. 118. 122. *quæ in poemate meliores, deterioreſue dicantur.* 120. 121. *Perſona Tragica, quæ Protagoniſta dicitur, ſit illuſtris.* 135. 136. 284. *An ſemper Rex eſſe debeat.* 136. *nec virtute, nec vitio ſit inſignis.* 135. 137. 138. 139. 284. *non tamen excluditur vir ſanctitate inſignis.* 140. 141. 145. 146. *nec Martyres.* 142. 143. 144. 146. 147. *alia eius perſonæ conditiones.* 284. *rarò omnes conditiones in Tragicã perſonam conueniunt.* 152. 153. *Perſona Tragica, & Comica apparatus.* 273. *eius permutatio.* 157. *Vide etiã,* Chorus, Comœdia, Ecloga, Epopoeia, Error, Fortuna, Heroica, Mores, Simplicitas, Tragœdia.

Pes cur dicta pars verſus. 416. *Pedes diſſyllabi, triſyllabi, quadriſſyllabi.* 417. 418.

Phaleucius verſus. 422.

Phantaſtica imitatio. 6.

Phantaſticum drama. 301.

Pherecratius verſus. 419. 420.

Pindari laus. 105. 398. *eius Odæ quales.* 393. *quid diſtent à Dithyrambis.* 393.

Pindaricus verſus. 430. 431.

Planipedes. Vide, Mimi.

Plato ſcripſit poemata. 104. *Vide etiam,* Poëta, Tragœdia.

Podiũ. Vide, Epiſcenium.

Poematum diuerſa genera. 59. 60. *alij ad alia aptio-*

aptiores. ibid. impura, poeſeos finem peruertunt. 321. *Vide etiam*, Dithyrambica, Carmen, Heroica, Mores, Sententia.

Poeſis natura conſtat. 2. *eam vis imitandi, ac propenſio ad cantum genuerunt.* 2. 3. 10. *ſine his eſſe non poteſt.* 4. *eſt imitatio.* 7. 8. *ciuilium præſertim, ac regiarũ actionum.* 8. *carmine facta.* 9. 10. *ſine carmine non eſt.* 10. 11. *eius materia non eſt falſitas.* 16. *non actiones humanæ tantũ.* 17. 18. *ſunt res omnes.* 19. 20. 34. *veriſimile potiſſimum in ijs ſpectando.* 21. 309. *an verum etiam, quauis reciſa fabula, affectetur.* 24. 25. *poteſt etiam eſſe ſiue fabula.* 34. 35. 36. 392. *perfectior tamen, quæ aſſuat fabulas rebus veris.* 37. 39. *eius varia forma.* 117. *Vide etiam.* Auletica, Carmẽ, Citharistica, Dithyrambica, Fabula, Forma, Imitatio, Impreſia.

Poëta nomen à faciendo. 1. *eius propoſitum eſt, imitari. ibid. cur eos Plato à ſua ciuitate ſubmouerit.* 13. 14. *eorum laudes. ibid. Poeta, Orator, & Hiſtoricus, qua ratione circa res omnes verſentur.* 21. 22. *Poeta ab Hiſtorico an Metro differat.* 41. 42. 43. *magis ingenio, ac natura, quã arte, formatur.* 46. 47. 54. 55. *eius ingenium non ferox, ſed placidum, ac ſuaue.* 47. 48. *in omnes ſeſe induit affectus.* 53. *mediocris eſſe non debet.* 55. 56. *multarum rerum ſcientia ſit inſtructus.* 65. *Poetæ præſtantes multi.* 102. *vſq; ad* 110. *honores, ac præmia ijs col-*

collata. 110.111. *loquēdi vſum commutant detractione, additione, diſſolutione, permutatione.* 261. 262. 263. *Vide etiam*, Allegoria, Anachroniſmus, Auditio, Carmen, Corona, Delectatio, Deſcriptio, Dictio, Diſpoſitio, Dithyrambica, Epitheta, Furor, Hiſtoricus, Imitatio, Lectio, Metaphora, Principes, Reges, Sancti, Sapientes, Veriſimile, Vtilitas.

Poetica artis finis. 11.12. 13. *ſub facultatis genere collocanda.* 45. *Vide etiam*, Inſtrumenta.

Polyſyndethon poetis conceſſum. 260.

Potentum mores. 210.

Praceptor. Vide, Inſtitutio.

Pratextata Comœdia. 297.

Principes Romani multi poeta. 105.106.

Principium, ſiue initium fabula, & operis non ſēper idem. 186.187.

Prologus in Tragœdia quid. 275.285. *quid in Comœdia.* 275.295. *an in Tragœdia prima primi actus ſcena ſit prologus.* 276.

Propemticū carmen quod in diſceſſu fit, eiuſq; forma. 343.344.

Proſcenium locus ante ſcenam. 272.

Protagoniſta prima perſona Tragœdia. 135. *Vide*, Perſona, Error, Martyres.

Protaſis quid in Tragœdia, vel Comœdia. 276. *quid in ſchemate.* 384.

Protrepticum carmen. Vide, Paræneticum.

Pſeudoheroicus, ſeu Priapeius verſus. 423.

Pudor quid. 245. *qua illum excitent. ibid. quos vereamur.* 245. 246.

eius

eius exempla.246.

Pulpitum, ſiue Ara in Orcheſtra.272.*Ara dua*. *ibid.*

Pythagoras poeta.104.

Q

Q*VALITATIS, quantitatiſue partes in Tragœdia quæ*. 168. *vſque ad* 274. & 285. *Vide etiam*, Comœdia, Lyrici.

Querna corona poetis, & ijs qui ciuem ſeruaſſent, tributa. 115.

R

R*EGES Poeta*. 108. *quã ampla ſit Regis ditio ad Tragœdiã*.136.

Rhapſodia vnde dicta 304

Rhytmus quid, & vbi adhibitus. 119. *An in Comœdia*.290.*Vide etiam*, Inſtrumenta.

Ridiculum vitium quodnam ſit.290.291. *oritur ex turpitudine, qua dolore vacet*. 291. *ineſt tũ in actionibus, tũ in perſonis*.293.*Vide*, Comœdia.

S

S*ACRVM drama quid*. 301.

Salomon verſus ſcripſit. 109.

Sancti aliquot viri poeta. 108.109.

Sapientes ſeptem Gracia, poeta. 103.104.

Sapphicus verſus dactylicus.422.*trochaicus*.425. *iambicus*. 428. *alter*. 429.

Satyra à quibus inuenta. 328. 329.*Comœdia fœtus*. *ibid*. *vnde illi nomen*. 329.330. *qua eius materia*. 330. *quid à Comœdia differat*. *ibid*.

quid

quid in ea vitandum. 330.331. *eius ſtylus, &* *forma.* 331. *Vide etiã,* Epopœia, Liuius, Scena.
Scelus. Vide, Error.
Scena vnde dicta. 271. *eius partes, ac diſpoſitio.* 272. *triplex erat, Tragica, Comica, Satyrica.* 271. *Vide,* Proſcenium.
Scolium conuiualis Ode. 395.
Scriptionis vtilitas multiplex. 72. *ſcribendum pro ingenij facultate.* 73. *in quibus ſcribendis ſe quis exerceat.* 73.74.75.76. *ſcribendi modus, ac ratio.* 77.78. *quis ordo in ſcribendo.* 79. *recognoſcenda qua ſcripſimus.* 80. *quid in ea ſectandũ, aut fugiendum.* 80.81. 82.83. *Vide etiam,* Stylus, Paraphraſis.
Scriptores. Vide, Imitatio.
Seculare carmen. 396.
Senarius verſus Iambicus. 427.
Sententia quid, & à dictione quid differat. 172. 287. *tertia poematis pars.* 212. *ad intelligentem facultatem ſpectat.* ibid. *duplex eius genus.* 213. *affectus praparat, mentemq; detegit.* 213. 214. *quis earum vſus.* 214. *adhibetur etiam in Comœdia.* 295. *rarior in Epopœia.* 315. *Vide etiã,* Fabula.
Senum mores. 248.
Simonidius verſus. 420.
Simplicitas Tragica perſona. 167. *fabula.* 173.
Solon Poeta. 103.
Solutio fabula quid. 199. *quis eam optimus ſoluẽdi modus.* ibid. *ex ipſa fabula oriatur, non ex machina extrinſecus adſcita.* 199.200. *Vide etiam,* Cataſtrophe, Machina.

So-

Sophiſtæ ſcopus quis. 16.
Sophoclis laus. 105. *Vide etiam*, Æſchylus.
Sotadicus trochaicus duplex. 425. *anapæſticus*. 431.
Soteria carmen incolumi amico miſſum. 339. *eius forma*. 339. 340.
Species. Vide, Forma.
Spes quid. 217. 229. 290. *quid illam excitet*. 229. 230.
Spondaicus verſus. 423.
Staſimus in choro quid. 283.
Statariæ Comœdiæ. 297.
Steſichorius verſus pentameter. 422. *hexameter*. 423.
Strophe quid. 282. 283. 289.
Stylus quomodo comparetur. 65. 66. *quomodo exercendus*. 71. 72. *optimus dicendi magiſter*. 71. *Vide etiam*, Elegia.

T

TERPANDER poeticæ legis autor. 123.
Thales poeta. 103.
Theatrum olim quale. 27. 278. *Romanorum in theatro ſedẽdi ordo*. 272. 273. *eius apparatus*. 273.
Theſpis an auctor Tragœdiæ. 124.
Threni, in excidio vrbis lamentatio, eiuſq; forma. 263.
Tibiæ Phrygiæ, Serranæ, Dextræ, Siniſtræ, Pares, Impares. 274.
Timor. Vide, Metus, Confidentia.
Togatæ Comœdiæ. 297.
Tragœdiæ munus. 115. *quo differat à Comœdia*. 120. *quas perſonas imitetur*. 120. 121. 277. *quis eius autor*. 124. *quæ initia. ibid. nomen unde* tra-

traxerit. 126. *eius definitiones.* 126. 127. 128. 184. *repurget ne affectus, an augeat.* 128. 129. *cur eam Plato submouerit è Republica.* 128. 129. *cuiuſmodi perſona ſint eius argumentũ, ac materia.* 130. 131. 132. 133. 134. 284. *an fictas perſonas admittat. ibid. an affectus alios præter metum, & miſericordiam excitet.* 141. *vix formã eius præſtantiſſimam reperies.* 152. 153. *an felici exitu terminari queat.* 162. 163. 164. 165. *quomodo terrorem, ac miſericordiam concitet. ibid. an diſtet à Comœdia.* 165. *perſona eius quomodo ſimplex eſſe debeat.* 166. 167. *partes eius qualitatis ſex, quantitatis quatuor.* 168. 274. 275. 276. 285. *Actus quinque.* 205. *varijs ex rebus Tragœdia ſortiuntur nomen.* 287. *Vide etiam,* Æſchylus, Affectus, Agnitio, Apparatus, Cædes, Chorus, Comœdia, Commus, Epiſodium, Epopœia, Fabula, Heroica, Magnitudo, Martyres, Melodia, Mores, Paſſio, Pathos, Peripetia, Perſona, Prologns, Protaſis, Scena, Theſpis.

Tragicomœdia an antiquis cognita. 297. 298. *duplici conſtat & perſonarum genere, & fine.* 298. 299. *quis præcipuus finis eius.* 299. 300. *eius definitio.* 300. *Vide etiã,* Amphitruo, Odyſſea.

Traiectio, ſeu Tranſpoſitio verborum apud Poetas. 259.

Triſtitia quid, & quomodo à dolore differat. 217. 225. *quid illam efficiat.*

quæ eius ſigna.226.quinam illi obnoxij. ibid. eius exempla.228. Vide etiam, Lype.
Trochaici verſus. 424. 425.426.
Tunicata Comedia. 297.
Turpitudo quid.291.animi altera, altera corporis. ibid. qualis riſum moueat. 291.292.

V

VARRO Poeta. 105.
Veriſimile quid & quatenus à Poeta ſpectetur. 21. 22. à vero quomodo differat.22.an verum etiam ad poetam ſpectet.24.25. quale veriſimile Homerus, & Empedocles ſpectarint. 39.veriſimilitudo fabulæ quæ. 183. 286. quæ eam faciant veriſimilem, aut contra. 183. 184. 185. Vide etiam, Fabula, Poëſis.
Verſus quid, & vnde dictus 416. quot ex capitibus ſortitus nomen. 418. verſus, & carmen quid differant. 418. Verſus Dactylici.419 420.421. 422. 423. Trochaici. 424.425. Iambici.426. 427.428. 429. Anapæſtici.430.431 432.
Vertendi ex vna in alterū linguam vtilis exercitatio.75.76.
Virilis ætatis mores. 209.
Vita humana,quaſi fabulæ,partes quinque.279.
Vituperatio. Vide, Panegyris.
Vnitas fabulæ. 188. quid ſit.189.286. non excludit implexionem. ibid. qua ratione in Epopœia multiplicitatem excludat. 190.191.192.313. vnitatem facit actionis vnitas, non perſonæ, vel temporis.191.an Comœdia actio vna, ſimplexq; ſit.

*ſit.*294. *Heroici poematis vnitas*. 313. *Vide etiam.*Actio.

Vniuerſale poeticũ quid. 22.23.

*Voluptas. Vide,*Gaudium.

Votiui Poematis ad auertendum malum formu. 336.337.*ad aſſequendũ bonum.*337.338.

Vrbani VIII. hoc eſt, Maſſai Barberini laus. 109. 393.

*Vtilitas,& morum emendatio præcipuus poetæ ſcopus.*11.12.13.19.

Z

ZORASTRES *poeta.* 104.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 21. v. 26. qui:*cui.* 22. v. vlt. ὀυτῷ: ὀυ τὰ. 38. v. 1. ἀδύνατα: ἢ δυνατὰ. 55. v. 9. dicentem: *docentem.* 71. v. 15. peroptabat: *præoptabat.* 82. v. 14. in tendo: *mitando.* 94. v. pen. in curioſis: *incurioſis.* 120. v. 5. infirmos: *infimos.* 123. v. antep. hos perpetuo: *has.* 129. v. penult. extinguiguit: *extinguit.* 130. v. 4. Tragœdia: *Tragœdiæ.* 131. v. penult. configantur: *confingantur.* 155. v. 23. ſceri: *ſceleri.* 173. v. 12. implex: *ſimplex.* 180. v. 24. adduceret: *abduceret.* 181. v. 23. Signa: *Digna.* 189. v. 18. participiant: *participant.* 190. v. 5. Principium: *principum.* 223. v. 1. ab igneam: *ob igneam.* 245. v. 12. queſtus: *quæſtus.* 269. v. 17. ethica: *hectica.* 286. v. 14. amicæ quæ: *amicaq;.* 287. v. 11. & Electra: *vt Electra.* 293. v. 24. infirmorum: *infimorum.* 312. v. vlt. fictam: *fictum.* 335. v. 26. aduertendi: *auertendi.* 336. v. vlt. & 337. v. 1. contram: *congeram.* 345. v. 2. & licebit: *te licebit.* 346. v. 1. variarum: *viarum.* 367. v. penult. poëſis: *poëtis.* 374. v. 11. queris: *quereris.* 410. v. 4. diuturniſa: *diuturniſa.* Et alia leuiora.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Ente	- Biblioteca Nazionale Centrale di Roma Vittorio Emanuele II
Opera	- 6.3.A.57

Laboratorio - Il Laboratorio s.r.l., Firenze

Anno restauro	- 2004-2005

H 7

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo numerazione delle carte, scucitura volume, spolveratura con pennello, pulizia a secco delle carte, distacco delle controguardie con impacco di tylose MH300P al 2%, misurazione pH pag. 31, valore 6,31, lavaggio in acqua deionizzata, deacidificazione in soluzione semisatura di idrossido di calcio, rinsaldo a pennello con Tylose MH300p al 2%, risarcimento strappi e lacune con carta giapponese Vangerow 20517, velo Vangerow 20561, collante Tylose MH300P al 4 %, imbrachettatura con carta giapponese Vangerow 20503, nuova cucitura su 2 nervi in canapa, nuovi capitelli infilati in lino naturale e seta color giallo su anima in pelle allumata, indorsatura in carta giapponese e cotone, restauro e pulizia coperta originale in pergamena semifloscia.

DATA COLLAUDO 14-05-05

COLLAUDATORE

Il Laboratorio s.r.l.